PRÆLECTIONES ACADEMICÆ
IN HOMERUM,

OXONII HABITÆ

ANNIS MDCCLXXVI—MDCCLXXXIII.

A

JOANNE RANDOLPH, S.T.P.

POETICÆ PUBLICO PRÆLECTORE,

POSTEA

EPISCOPO LONDINENSI.

Ἀληθῶς βασιλικὸν πρᾶγμα ἡ Ὁμήρου ποίησις.

Oxonii et Londini:

JACOBUS PARKER ET SOC.

MDCCCLXX.

1870

60

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUÆ nunc tibi, Lector, in manus traduntur Prælectiones in Homerum habebat olim coram Academia Oxoniensi vir admodum eruditus, pater meus, Joannes Randolph, S.T.P., Poeticæ Prælector Publicus.

Idem, post paucos modo annos, necdum finita hac serie, in alias, primo Linguæ Græcæ dein Theologiæ, Cathedras Professorias Regias translatus, et, haud ita multo postea, in Episcopatum Oxonii, Bangoriæ, Londinii, rapida promotione evectus, mortem præmaturam obiit—vita nimirum peracta adeo ex omni parte laboriosa, adeo magnis diversisque negotiis semper occupata, ut ad opus hoc explendum, manumque ei ultimam imponendam, neque otium neque occasio unquam sufficeret.

Erant tunc temporis nonnulli, et iidem apti in tali re judices, qui censerent oportere has prælectiones illico in medium proferri; quippe quæ non modo delectationis aliquid ac voluptatis istiusmodi literarum peritis verum etiam junioribus et studiosis fructum haud mediocrem conferre possent. Veruntamen, quoniam imperfectum relictum

fuerat opus, et propter alias causas, res hactenus intacta mansit.

Nunc autem, mutata sententia, partim quia nuper (ut videtur) magna apud nostros Carminum Homericorum existimatio longe lateque invaluit, partim metuens ne forte lapsu temporis ipsa manuscripta pereant, edere illa demum, utcunque imperfecta ac sero, tam utile gratumque aliis quam mei officii fore judicavi.

Quod quidem quum facere audeo, etsi ipse propter ætatem meam tantæ rei impar, filii tamen ope et labore sedulo adjutus, nec auctoris famæ nec utilitati publicæ male me consuluisse spero.—Vale.

T. R.

A.D. MDCCCLXX.

PRÆLECTIO PRIMA INAUGURALIS.

QUANQUAM nihil mihi honorificentius potuit obtingere, quam ut vestro favore, Academici, in hocce officium cooptarer, tamen in eo non pauca sunt, quæ me sollicitum habent. Sentio enim quam lubricum sit de re poetica vere et accurate judicare, quippe qui id mihi persuasum habeam, in universa Academicæ disciplinæ ratione, vix aliud inveniri posse cui impensior cura adhibenda sit. Tum autem iis ipsis, qui facultatem hanc assecuti sunt, haudquaquam in promptu est aliis eandem tradere, et principia artis suæ luculenter exponere. Ipsa porro rei magnitudo et dignitas moram facit. Etenim instituti hujus ratio latius patere mihi videtur, neque in illo tantum consistere, ut facultatem quandam aut artem assequamur, sed eo usque eniti, ut juventus Academica, prælectoris sui consiliis adjuta, mentem humaniori disciplina subactam in mores et in vitam omnem possit transferre. Nec sum ignarus quanta olim omnium ordinum frequentia munus hocce celebratum est, quam illud gravissimorum virorum doctrina et studio exornatum: adeo ut verendum sit, ne vel rem ipsam vel officium mihi delatum per me dehonestari sinam. Quæ quidem omnia cum me non mediocriter sollicitant, tum

autem monent, omni cura enitendum esse, si quid forte vestris auribus dignum proferre possim.

Interea in ea quæstione versamur, quam omnes in deliciis habent, qui eam vel primis labris attigerunt; in ea insuper, in qua rerum copiam et sylvam haud facile desideres. Parum in hac re vident, qui arti Criticæ vel locum in quo spatietur, vel elegantias quibus se oblectet, deesse arbitrantur. Quocunque autem se convertat, modo recte et accurate disquisitio fiat, magno certe bonarum literarum emolumento labores suos instituit. Unica Græcorum poesis amplam satis materiem, et (quod mirentur fortasse nonnulli) magna ex parte illibatam ultro subministrat. Magnum foret, nec infructuosum, Lyricæ poeseos naturam et originem, quantum fieri potest, diligentius perscrutari; pauci enim sunt qui in hoc genere integri ad nos pervenerunt scriptores; sunt et quædam species Lyricæ poeseos, quas tantum nomine tenus assequimur. Magnum foret mediæ et novæ Comœdiæ apud Atticos relliquias ita in unum corpus conferre, ut de singulis scriptoribus conjecturam aliquam faceremus, et propius intueremur Attici Theatri venustatem. Etiam ipsa poeseos apud Græcos origo et progressus nunquam hactenus, quantum scio, satis accuratum pro rei amplitudine et varietate examen subiit, adeo ut ex hac parte multa sint etiamnum inexplorata. Nec vero minus utiliter in vetustiori Critica versari liceret, cum unus Aristotelis libellus infinitis fore disquisitionibus occasionem facile præberet. Hæc tam multiplex materia dubitationem mihi non exiguam injecit. Facile erat in Græcis scriptoribus immorari: sed verendum erat, ne forte intra hos limites, perjucundos licet et perutiles, evagaretur et

distraheretur quodammodo Oratio nostra. Itaque illud in animo habui, ut argumentum quoddam desumerem quod unum et simplex esset, tum autem ex mente hujus instituti, et maxime ex usu Academicæ disciplinæ. Argumentum ipsum et destinati operis formam quandam in medium proferre præsentis consilii est. Sed priusquam eo pervenerim, tum de ipsa Poesi, tum de arte Critica pauca præfari libet.

Liceat igitur in mentem vobis revocare quid de usu Poeseos, et de vera ejus natura veteres Græci senserint. Aiunt enim eam vel philosophiam esse vel philosophiæ valde affinem; neque illud magnifice nimis et gloriose, sed tanquam de re probe perspecta graviter et consulto sententiam ferunt. Quicquid demum sit, quæstionem hanc quadantenus excutere, et sub trutina, quod aiunt, explorare, a proposito nostro certe non alienum erit. Ignoscendum est tamen, si voces quasdam et loquendi formulas Latinis scriptoribus minus notas usurpemus: quæ enim Græce non tantum accurate, sed etiam summa cum elegantia, Latine ne accurate quidem dici possunt.

Jam vero omnis philosophia in eo præcipue versatur, ut in rerum quam maxime universalium cognitione consistat, neque ullum ejus certiorem characterem esse arbitror. Ipso statim scientiarum exortu compertum est, res singulatim sumptas, et nullo vinculo inter se connexas, philosophiæ subjici non posse, utpote quas intellectu consequi et animo complecti non queas, cum infinitæ sint et mutabiles: easdem artificio quodam inter se conclusas, et in suas classes distributas, jam cognitu faciliores fieri, ita ut in earum affectibus demonstrandis feliciter

versetur scientia. Dempto igitur universali, omnis philosophia cadat necesse est; *ἐὰν δὲ τὸ καθόλου μὴ ᾖ τὸ μέσον οὐκ ἔσται, ὥστ' οὐδ' ἀπόδειξις*[a]. Quod si stet, quorsum pertineat unius trianguli affectus demonstrare, vel unius hominis officium designare. Animadvertendum autem est, singularia esse quæ nostris sensibus objiciuntur, et adeo ex quibus omnis nostra cognitio initium sumit; unde factum est, ut ad Universalia non nisi paulatim progrediamur; *τῶν γὰρ καθ' ἕκαστον ἡ αἴσθησις*[b]. Singularia igitur ista, quorum sensuum ope notionem quandam et conceptum in animo habemus, contemplatur et inter se committit intellectus humanus: dignoscit porro, vi quadam propria, communem quandam in multis naturam, quæ omni singulorum differentiæ superstes sit, et hinc sibi Universales rerum conceptus fingit et creat, quos suis nominibus designatos in classes quasdam tanquam philosophiæ penum distribuit, unde in Scientiarum usum facile depromantur: hæc autem omnia sensim tantum et minutatim assequitur, ut nimirum a singularium contemplatione Universale quoddam fingat, quod singularia duo vel plura complectatur; rursus istiusmodi Universalia inter se committens, fingit sibi aliquod magis Universale, quod hæc etiam complectatur; vel, ut notioribus loquendi formulis utamur, ab individuo ad speciem, a specie ad genus, ab infimo genere ad aliud superius adsurgit, donec tandem ad illud quod maxime est Universale evehatur. Hinc autem factum est, ut ad scientiam aliquam absolvendam duæ res requirantur, viz. Methodus Analytica et Synthetica; nempe ut vera principia

[a] *Aristot. Analyt. Poster.*, l. 1. c. 7. [b] Ib., 14.

et procedendi ratio Analytice investigentur—dein artis præcepta et Theoremata Synthetice demonstrentur; vel, quod tantundem est, ut a rerum singularium contemplatione ea principia gradatim eruamus, quæ late pateant et scientiæ demonstrationibus inserviant. Hinc in naturali philosophia per experimentorum copiam et observationes Astronomicas caute et quasi per gradus continuos ad ea provehimur quæ Universaliter vera sunt. Nec absimilis Geometriæ origo. Etenim figuras et corpora Geometrica inter se commiserunt primi hujusce Scientiæ cultores, donec ad eas definitiones pervenerunt, quæ multis pariter congruebant, et ad ea Axiomata, ex quibus magna illa et Universalia Theoremata deduci possent. Hinc in Ethicis unius et alterius hominis mores et affectus contemplamur, ut ad illa officia tandem deveniamus quæ non jam uni aut alteri sed universaliter humano generi competant. Hæc igitur est illa philosophandi methodus quam natura ipsa et ratio nobis designant: hæc est illa quam olim auspicato in lucem protulerunt Plato et Aristoteles, quam haud ita pridem e tenebris excitavit magnus ille Verulamius, nullo autem nomine notior aut præclarior, quam quod Newtonianæ philosophiæ fundamentum sit. Eam itaque statuo omnis philosophiæ legem esse et normam ut a rebus singularibus ad universalia paulatim adsurgat. Sed hæc impræsentiarum breviter attigisse satis sit, quæ quidem ideo tantum attigi, quo facilius dignosceretur Poetices cum philosophia cognatio.

Ac primum quidem in eo prorsus conveniunt, quod a singularibus quæ passim sensibus objiciuntur utraque initium sumat. Etenim poeta totam fere naturam ac præcipue vitam humanam, ea qua pollet

animi intentione, rite perlustrans, eorum formas et imagines quamplurimas in animo reponit. Ubi vero operi suo se accingit, ex hoc cumulo tanquam ex penu materiem sibi desumit, quam quidem ad libitum format ac fingit, vi istius facultatis quam φαντασίαν Græci vocant, varias quas in animo habet notiones et ideas inter se commiscens, et eo quo velit ordine disponens, ita ut optimo jure opus de suo condere videatur, quo nomine apud Græcos ποιεῖν dicitur, ideoque ποιητὴς appellatur. Nec vero temere, quocunque animi fervor se proripiat, evagatur, nulla lege neque ullis vinculis adstrictus; sed omnis Poetice suos fines habet, quos tuto transgredi non potest. Omne enim poema cum simplex et sibi semper consonum esse oportet, tum etiam naturæ ipsi consentaneum. Quicquid enim fieri nequit, si in poemate usurpatum sit, rationi ipsi repugnat, neque ullam apud sanos homines existimationem mereri potest. Quod si incredibile prorsus sit neque verisimile, parum certe valebit vel in oblectandis hominibus, vel in affectibus commovendis; nugari poetam vel insanire omnes conclamabunt. Itaque quanquam poeta non ad unum aliquod exemplum sedulo exprimendum se accingit, ita tamen opus suum instituit, ut ex natura ipsa excerpat et delibet quæ sibi ex usu sient, ea autem ita pingat et inter se committat, ut naturam ipsam adumbrare videatur. Non opus est, ut unius aut alterius hominis mores et res gestas proferat, sed ut iis limitibus se coerceat intra quos vitæ humanæ norma. Nec vero hoc ita dictum velim quasi ista rerum et hominum singularium accurata descriptio a re poetica omnino abhorreat: de illo loquor quod poeseos maxime proprium est, et

quod iis præsertim poeseos generibus congruit, quæ dignitate sua præ cæteris eminent: de iis legibus quæ non tam Satyricæ et Elegiacæ poesi quam Epicæ grandiloquentiæ et gravi Tragœdiæ cothurno adjudicantur. Quanquam illi etiam qui ruris delicias et amœnitatem nobis exhibere volunt, non illud plerumque agunt, ut exemplar aliquod ad amussim imitentur, et rerum singularium differentias fideliter exprimant, sed ut totam descriptionem ad naturæ et veritatis normam componant. Frustra in Phæacum terra Alcinoi hortos requiras; frustra inter insulas Tyrrheni maris pulcherrimum illud Calypsus domicilium. Satis sit istiusmodi esse, quæ fieri et inveniri possunt salvis naturæ legibus. Quod si illud in rebus inanimis locum habet, quanto magis cum ad vitam humanam se confert poeta. Videt scilicet eum historiæ finem esse, ut ex rebus præteritis de futuris fiat conjectura, ut ex rebus gestis et moribus eorum qui vita jam excesserunt ad hominum accuratiorem notitiam nos erudiat. Aliam itaque ingreditur viam, magis certam et magis expeditam, et, perruptis iis vinculis quæ historiam nimis arcte constringunt, non seriatim populi alicujus res gestas recenset, sed ad illud quod magis universale est confugit, quo facilius ad hominum notitiam nos erudiat. Ii enim mores, ea consilia nobis optimo erunt documento, quæ non unius loci sunt, neque una tantum vice obveniunt, sed quæ juxta vitæ humanæ rationem sæpissime obvenient. Itaque Homericus ille Achilles, quod mores et affectus ejus attinet, non ex historiæ fide pendet, sed ex eo quod ad vitæ normam effictum habes; neque Odysseam Homeri ex rerum veritate recte æstimare possis, sed ex eo quod

Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem[c] :—

> *οὐ τὸ τὰ γινόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστὶν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ, κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον.*

Hoc vero est non jam ulterius in singularibus immorari, sed ad universalia assurgere, quæ singularia complectantur; adeo ut hic demum eandem agnoscas quam in Philosophia *ἀναδρομὴν ἐπὶ τὰ καθόλου*. Idem porro mentis vigor Poeticæ inventioni qui Philosophicæ investigationi inservit; non enim facile ad naturæ normam mores hominum effinget, nisi qui vitam humanam percalluerit, nisi qui acumen illud quod in Philosophia tantum valet, vel insitum vel usu edoctum habet, quo facile dignoscat ea quæ in rebus multis communia sunt, aut ea invicem quæ in singulis diversa. Et mihi quidem videtur Homerus eadem acie mentis mores et affectus humanos perlustrasse, qua Philosophiæ lumen Newtonus rerum naturam et scientias Mathematicas. Idem agit uterque cum eas naturæ leges uno intuitu perspectas habet, et veras esse enunciat, quarum notitiam alii vix gradatim attingunt: nec minore apparatu ad Homeri præcepta tanquam ad metam quandam perveniunt veteres philosophi, quam ad Newtoni Theoremata recentiores Mathematici. Quocirca si illa omnis poeseos vel optimæ saltem vera sit descriptio, eam quam maxime universalem esse, philosophiæ affinem esse statim patet[d] :—

> *διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν· Ἡ μὲν γὰρ ποιησὶς μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει.*

Cum autem in omni philosophia nullum argumentum majus neque pulchrius inveniri potest, quam illud quod in hominum commerciis et officiis ver-

[c] *Aristot. Poet.*, c. 9. [d] *Ibid.*

satur; cum nihil sit difficilius, neque quod magis ad nos pertineat, quam mores et animi affectus explorare, ex quibus consilia nostra et actiones omnino pendent; illud autem quod in pulcherrimo argumento versetur sit ipsum pulcherrimum; jam non verendum erit, quo minus ipsam Poesin istius animi facultatis qua ad Philosophiam evehimur exercitationem præstantissimam esse affirmemus—eam autem Poesin quæ in rebus Ethicis versatur summo in loco ponamus, nulli scientiarum nec utilitate nec dignitate rei secundam.

Accedit illa etiam Poeseos non contemnenda proprietas, quod imitando præcipiat. Etenim ex vitæ imagine acrius multo et fortius quam ex meris præceptis veritas haurienda est. Hinc animus inusitata rei dulcedine delinitus illius quod pulchrum et honestum est amori paulatim assuescit, et humaniorem vitæ habitum sensim induit. Hinc dum alienos mores intuemur intra nostra pectora similes et cognatos affectus agnoscimus, et ex aliorum exemplo nobismet ipsis moderari discimus. Unde Plutarchus[e]:—*αἱ δὲ μοῦσαι μέμψαιντ᾽ ἂν ἡμᾶς καὶ παντάπασιν, εἰ νομίζομεν αὐτῶν ἔργον εἶναι κιθάραν καὶ αὐλοὺς, ἀλλὰ μὴ τὸ παιδεύειν τὰ ἤθη, καὶ παρηγορεῖν τὰ πάθη τῶν χρωμένων μέλεσι καὶ ἁρμονίαις.* Quin et illæ Pindari *σεμναὶ χαρίτες* non immerito virtutis et sapientiæ antistites esse dicuntur et ipsius Jovis solio adsidere[f]. Adeo de

[e] *Plutarch. Sympos.*

[f] σὺν γὰρ ὑμῖν τὰ τερπνὰ καὶ τὰ γλυκέα
γινεται παντα βροτοις,
εἰ σοφὸς, εἰ καλὸς, εἰ τίς ἀγλαὸς
ἀνήρ. οὔτε γὰρ Θεοὶ
σεμνᾶν χαρίτων ἄτερ
κοιρανέοντι χοροὺς,

Poesi sentiendum est, non tanquam levi aliquo oblectamento, quod otiosis auribus adblandiatur, sed tanquam vitæ duce, quæ mores et totum animum in melius effingit [g] :—*διὰ τῆς ποιητικῆς παιδεύουσιν οὐ ψυχαγωγίας χάριν δήπουθεν ψιλῆς, ἀλλὰ σωφρονισμοῦ.*

Quod si Poesis talis sit quid tandem de illa arte existimandum est, quæ Poesin ipsam illustrandam et explorandam sibi vindicat? Quonam enim confugiat qui de re tam gravi sententiam laturus est, nisi ad maximarum rerum scientiam? Si illud Poetæ officium sit, ut nihil proferat quod naturæ et rectæ rationi repugnet, non aliunde artis suæ rudimenta desumet Criticus nisi ex sanæ Logices præceptis, ex quibus unice ediscendum est quid rectæ rationis sit. Rursus si illud Poetæ sit, ut consiliorum et actionum humanarum imaginem effingat, ita etiam ut in virtutem nos erudiat, nemo certe de his rebus recte judicabit, nisi qui mores hominum et affectus perspexerit, nemo denique nisi qui totam Ethicam philosophiam percalluerit. Etiam illa quæ de re rustica, de anni tempestatibus, de regionum situ et temperie, et cæteris ejusmodi, jucunde perquam et eleganter operibus suis immiscent poetæ, non satis intelligunt, nisi qui harum rerum notitiam non mediocrem assecuti sunt. Itaque iis male se res habet, qui aliunde quam ex accurata et multiplici scientia in hac arte peritiam se consecuturos sperant; illud autem summæ est arrogantiæ,

οὔτε δαῖτας· ἀλλὰ πάντων
ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ,
χρυσότοξον θέμεναι
παρὰ Πύθιον Ἀπόλλωνα θρόνους,
ἀέναον σέβοντι πατρὸς
Ὀλυμπίοιο τιμάν.—*Pind. Ol.* 14.

[g] *Strab.*, lib. 1.

ex mera opinione nullo adhibito judicio de his rebus sententiam ferre. Verum est, quibusdam hominibus ex ipsa natura ingenium solertius, et illius quod pulchrum est et elegans sensum certiorem dari: sed natura nullis subsidiis adjuta parum valet. Opus erit, ut ingenii vim insitam continua meditatione et optimorum scriptorum lectione exerceamus et in melius promoveamus; opus erit, ut animum severiori philosophia et scientiarum præceptis tanquam suis telis instruamus. Ita demum menti accrescet habitus quidam et facultas, qua, tam in re poetica quam in omni vita, illud quod pulchrum est et decorum facilius dignoscat; adeo ut hactenus quidem ex opinione et voluptate auditoris recte dijudicetur poesis[h]:—*Συγχωρῶ δὴ τόγε τοσοῦτον καὶ ἐγὼ τοῖς πολλοῖς, δεῖν τὴν μουσικὴν ἡδονῇ κρίνεσθαι, μὴ μέντοι τῶν γε ἐπιτυχόντων· ἀλλὰ σχεδὸν ἐκείνην εἶναι μοῦσαν καλλίστην, ἥτις τοὺς βελτίστους καὶ ἱκανῶς πεπαιδευμένους τέρπει· μάλιστα δὲ εἴτις ἕνα τὸν ἀρετῇ τε καὶ παιδείᾳ διαφέροντα.*

Hæc fere sunt quæ de Poesi et de arte Critica præmittenda censui; pauca sane et exilia pro rerum ipsarum magnitudine, sed cum ad hæc fere semper revertendum erit, ex usu fore credidi veterum philosophorum opiniones de his rebus vel in ipso limine aliquatenus excutere et in lucem proferre. Si enim minus honorifice de poetarum operibus sentiamus, in vitio esse arbitror ea quæ passim circumferuntur depravata Neotericorum poetarum et Criticorum scripta. Qui in Græcis literis versati sunt non gravate agnoscent poesin ipsam, quod rei naturam et usum attinet, scientiarum nulli secundam

[h] *Plat. de Leg.*, l. 2.

esse, neque nos de Homero, Pindaro, et veteribus Tragicis nimis gloriose efferri putabunt, si eorum scripta ad sanam mentem et judicium limatum plus conferre dicamus quam Historicos et Philosophos fere omnes. Equidem cum hæc mecum reputo, sæpenumero mirari solitus sum, unde factum est, ut omnes fere species poeseos Græci primi invenerint, et iidem prorsus absolverint: recentiores autem vix ullam de novo speciem excogitaverint, neque in illis quas a veteribus traditas habent, eorum vestigia sine magno suo periculo ausi sint deserere. Ad Homeri normam Epica poesis fere omnis componitur, ad Sophoclis et Euripidis fere omnis Tragica. Pauci tamen sunt qui ad nos integri pervenerunt scriptores. Quid autem de illis sentiendum est, quorum elegantiis ne oblectemur invidit ætas? Quid de illa Sapphus et Alcæi Lyra, de scena Menandriana, et tot mediæ ac novæ Comœdiæ scriptoribus, quorum eximiam venustatem conjectura tantum assequi possumus—adeo ut de universa Græcorum poesi illud Phædri non injuria usurpemus

> "O qualem te dicam
> Antehac fuisse, tales cum sint reliquiæ."

Iidem autem qui in re poetica tantum profecerunt, in arte Critica facile principes sunt. Romani hanc rem parce attigerunt. Neoterici plerique minus accurate, et more declamatorio; cujus tamen principia ex intima philosophia petenda esse censuit Plato. Aristoteli etiam laudi dandum est, quod inter opera ejus philosophica optimo jure locum habent tam ea quæ ad Rhetoricam quam quæ ad Poeticam spectant. Eadem methodo ac via poeticæ imitationis principia et elementa eruit qua cæteræ philosophiæ, et præcepta artis suæ ex Ethices et

Logices institutis plerumque deducit: adeo ut eos, qui temere ad hoc opus accedunt, monitos velim, neminem vel ad hunc vel alium quemvis Aristotelis librum perlegendum satis instructum prodire, nisi qui ejusdem Authoris Logicen prius diligenter evolverit. Ne vero illud nimii laboris esse videretur, animadvertendum est, illum fere unicum sufficere quem in hac re adeas, qui scilicet in exiguo perquam et imperfecto opere rem ipsam penitius exploravit, et ulterius prosecutus est, quam cæteri in universum omnes. Alio deflectunt recentiores, et in diverticulis quibusdam sibi placent: sed, si ad veritatis normam rem exigas, perpauca sunt quæ Aristotelem omnino fugerunt. Interim aureum illud opus evolventi animo non obversari non potest, quam sit illa omnium præstantissima poesis, quæ severioris philosophiæ examen non reformidet, et invicem quanti sit ea philosophia qua elegantiis hisce explicandis feliciter inserviat.

Sed de his rebus hactenus—devenio nunc ad illum quem inter tot scriptores, dignos fere omnes quos iterum atque iterum perlegamus, unicum mihi illustrandum desumpsi, Homerum dico; quem tamen cum nomino, videor mihi non in uno authore neque in exigua parte Poeseos operam ponere, sed omnem quodammodo complecti. Primum enim illud miraculo est, scriptorem inter profanos antiquissimum præ cæteris omnibus eminere; adeo ut Poesis Epica, qua certe nihil majus quod humani ingenii sit, prima statim vice ita absolvatur, ut nihil sit quod addi aut demi possit. Hinc factum est, ut, dum de uno Homero loquimur, omnis poeseos originem et primordia perscrutari necesse sit. Deinde vero satis patet, eundem esse, quem in sua arte principem recentiores

Græci suspiciebant, et a quo quicquid ipsi profecerint se hausisse libenter agnoscunt. Hunc Tragœdiæ et Comœdiæ patrem fatetur Aristoteles, nec tantum in grandi et magnifico carminum genere se ducem aliis præbuisse, sed etiam in asperitate et jocis Satiricis. Hunc Pindarus in ore semper habuit, et ut videtur cætera Lyricorum manus. Etiam latius patet argumentum nostrum: non enim Poetæ tantum, sed et Historici quoque Homerum sedulo colebant. Apud Herodotum passim, et quædam etiam apud Thucydidem agnoscas ducis sui vestigia. Mitto oratores, qui tamen totam fere artem suam ab Homero mutuati sunt. Neque vero apud ipsos philosophos in minore pretio fuit, quem scilicet Plato et Aristoteles tam non contemnebant, ut in sententiis ejus interpretandis summam operam gnavarent. Apud totam denique Græciam Homeri authoritas plurimum valebat. Ex hujus carminibus civitatum lites dirimebantur: hunc in maximis et gravissimis rebus Oratores, legati, et ii qui in republica principatum obtinuerunt, testem sibi adsciscebant, et ex illius mente vitam suam et consilia instituebant. Huic denique in formandis juvenum animis et erudiendis primum ac præcipuum locum omnes uno consensu detulerunt. Hic est ille, quem jam ex antiquissimis temporibus avide excepit, et civitate quasi donavit populus Atheniensis; quem itidem non repudiavit austera Lycurgi disciplina.

Videtis, Academici, argumentum de quo loquor, haudquaquam exiguum esse, neque arctis limitibus constrictum; sed omnem fere Græcorum doctrinam tanquam ab uno fonte derivatam complecti. Et cum literarum amor et studium a Græcis ad Romanos, et proinde ad recentiores profluxerit, vix quic-

quam est, quod scribendi artem et rationem attinet, quod non aliqua ex parte sub hoc argumento cadat. Non igitur de grege Poetarum unum aliquem aut alterum mihi illustrandum secerno, sed Homerum ipsum humaniorum literarum patrem et principem. Nec vero dissimulandum est multos esse qui in eodem campo desudaverunt; sed pauci sunt qui in hac re feliciter se expedierunt, nemo autem, quantum scio, qui totam rem plene et satis pro argumenti amplitudine tractavit. Alii enim, dum systema aliquod sibi temere fingunt, eo omnia detorquent; alii, novitatis studio abrepti, illud potius agunt, ut ingenii sui vires ostentent atque efferant, quam ut poetæ mentem assequantur. Ipsum porro argumentum adeo varium est atque multiplex, ut supersint adhuc quamplurima vel parum perspecta vel prorsus inexplorata. Nec vero eandem, quam cæteri, insisto viam; qui quidem ex ipso poeta, potius quam ex ullis interpretibus, ea quæ ex re sient petenda esse arbitror. Cum autem multa ab antiquis præclare dicta sint in Homerum, ab Aristotele præsertim et Platone, quædam etiam a cæteris, nullius opem recuso; non illud agens ut de meo quiddam proferam, sed in veritate eruenda unice occupatus. Quo igitur melius et facilius ea omnia quæ ad Homerum spectant in unum corpus compingam, totum opus in tres partes distribuo: in prima mores et studia populorum, disciplinas civiles, artium et scientiarum statum, linguæ Græcæ proprietates, et cætera istiusmodi, quæ Poetæ subsidia et suppellectilem haud immerito appellares, breviter attingere destinavi. Hisce præmissis, ad alteram partem, quæ in ipsius poetæ excellentia tota versatur, rectius deveniemus. Supplementi loco,

eam mihi quæstionem explicandam suscipio, quanam ex parte, et quibus potissimum modis, humanioris disciplinæ ratio ex Homeri scriptis ad Græcos profluxerit, et deinde per gentes propagata sit.

Nec vero non sentio quanta rerum mole argumentum tam late sumptum obruatur, nec quam sit difficile et exactissimi judicii tam implicatis et obscuris quæstionibus lucem offundere[1]:—"Non mediocres enim tenebræ in sylva ubi hæc captanda, neque eo quo pervenire volumus semitæ tritæ, neque non in tramitibus quædam objecta, quæ euntem retinere possint." Quod si forte aliquem ad Græcarum literarum amorem exacuam et accendam, et in hisce studiis viam præmonstrem et officio meo et ipsius Academiæ utilitati abunde me satisfecisse arbitrabor.

[1] *Varr. de Ling. Lat.*, l. 4.

PRÆLECTIO SECUNDA.

CUM veterum plerique de Homero magnifice locuti sint, præcipue tamen Strabo; qui et ipse etiam videtur in Homero explicando præcipuam operam posuisse. Ait enim illum, non tantum in rebus Poeticis et in sua arte præ cæteris eminuisse, sed earum rerum omnium cognitione quæ ad vitam humanam spectant. *οὐ μόνον ἐν τῇ κατὰ τὸν ποίησιν ἀρετῇ ὑπερβέβληται τοὺς πάλαι καὶ τοὺς ὕστερον, ἀλλὰ σχεδόν τι καὶ τῇ κατὰ τὸν βίον ἐμπειρίᾳ τὸν πολιτικόν*[a]. Nobis igitur in hac materia versantibus jam in primo limine ea quæstio excutienda est, unde illi tanta et tam multiplex experientia accreverit. Etenim in his rebus præstantia non tantum ingenio et animi dotibus, sed temporum opportunitatibus et fortunis cujusque, aliqua saltem ex parte tribuenda est.

Constat igitur Homerum inter profanos scriptores antiquissimum esse; et eos omnes ita ætate antecessisse, ut de ejus temporibus apud Historicos nihil certi sit neque explorati. Nondum Historiæ sua fides et dignitas accesserat. Nondum literis mandata erat rerum gestarum memoria neque in ordinem redacta, sed obscura et fabulis involuta; dum tantum quisque assequebatur, quantum ab aliis

[a] *Strab.*, lib. i.

ore tenus didicerat, vel poetarum carminibus celebrata acceperat. Quadringentis fere annis post Trojam captam alia scribendi ratio increbuit. Eo autem res deducta est, ut istius ætatis Historici in suis temporibus potius immorati sint, quam in antiquitate eruenda. Extant apud eos sparsim hinc inde colligenda regum et ducum nomina, belli eventus, et cætera istiusmodi: sed de totius Græciæ statu, de populorum institutis et moribus, nemo eorum satis plene et accurate consilium iniit: nonnulla parce attigerunt, summam rei intactam reliquerunt. Nec vero in ignobili populo et nullius momenti temporibus versatur Poeta, sed Graiorum mores et studia pro argumento habuit. Qui autem paucorum seculorum decursu tam magnifice sese extulerunt, certe non indigni sunt quorum origines et primordia, quantum fieri potest, perscrutemur. Vetustiora quidem ita tenebris obruta sunt, ut de illis prorsus desperandum sit. Jam vero a Troja capta clariora aliquantulum fiunt omnia et certiora; donec ad ea tempora gradatim deveniamus, quæ omnibus literarum subsidiis aucta sunt et adjuta. Politicæ itaque doctrinæ studiosis istius, quæ postea effulsit, Græcorum gloriæ vestigia eruere et contemplari non infructuosum foret. Eadem res recentiori Græciæ Historiæ lucem non mediocrem offundet; quo certe nomine pauca quædam ad hanc rem spectantia ab ipso Thucydide primo Historiarum suarum Libro præmissa habemus.

Nobis autem, qui Homericæ Poeseos naturam et præstantiam explicandam suscepimus, optimo jure hæc omnia ad examen sunt revocanda. Cum enim Homerus vel paucos vel nullos omnino in sua arte duces et magistros habuit, naturam ipsam unice se-

quutum esse satis constat. Materiam suam pro arbitrio formavit et finxit [b]; sed non aliunde certe quam ex suis temporibus decerptam habuit. Siquid igitur de hominum moribus et affectibus et totius vitæ ratione operibus suis immiscuerit, ex disciplina et moribus suorum temporum ea omnia hausisse necesse est. Hæc igitur nostra est disquisitio; quibus telis instructus, quanam supellectile donatus, operi suo se accinxerit Poeta omnium præstantissimus. Erunt fortasse etiam in remota antiquitate Poeseos quædam subsidia, quorum opem melioribus auspiciis frustra speres. Nec sum ignarus quantam rem aggressurus sum, nec quam illa omnia inculta fere jacent et neglecta etiam ab iis qui Homero ætate proximi sunt: neque iterum quanta inter auctores cum veteres tum recentiores de his rebus discrepantia. Non enim alia nobis tractanda sunt, quam quæ aut "Poeticis decora fabulis," aut sordibus et situ obvoluta sunt. Cauto igitur pede incedendum est. Ac mihi quidem recte de his rebus consilium inire videtur, qui illo Strabonis modulo sobrie et modeste utitur, ut inter discrepantes auctores ea seligat tanquam vera, in quibus omnes vel plerique consentiunt, et ea etiam ex Fabulis Poeticis quæ universaliter omnibus competunt. *ταῦτα οὐ ποιητῶν πλάσματα ἐστὶν οὐδὲ συγγραφέων, ἀλλὰ γεγενημένων ἴχνη καὶ προσώπων καὶ πράξεων* [c]. Historiæ scilicet laboranti ex conjecturis quam maxime probabilibus succurrendum est. Thucydidem etiam in his rebus quantum licet lubenter auctorem sequor, qui hæcce argumenta aliquatenus excutienda esse arbitratus est, neque temere omnibus creden-

[b] Vid. Præl. i.

[c] *Strab.*, lib. i.

dum, neque omnia superbe sub pedibus conculcanda[d].

Quæri autem potest, utrum in iis versamur quæ ad belli Trojani tempora pertinent, an ad ipsius Poetæ ætatem. Interesse enim spatii nonnihil ex ipso Homero discas, qui Troicis temporibus sese studiose immiscuisse videtur; aliquando autem ad illustrandam suam poesin ea adhibuit, quæ ab illis plane abhorrent. Magna autem de Homeri ætate inter auctores discrepantia: neque quicquam certi afferunt: extant tamen in ipsius operibus quædam non obscura testimonia eum centum circiter annos post Trojam captam floruisse. Etenim de artibus quibusdam loquitur tanquam magno incremento auctis quod exiguo temporis intervallo fieri non solet. Deinde amplificatio ista, qua veterum Heroum vires et res gestas tam in singulis locis quam per totum opus in majus effert, argumento est eum de antiquis et minus notis temporibus locutum esse. Non enim alia augenda neque fabulis obtexenda esse censuit Homerus, quam quæ ab ipso temporis aut loci intervallo disjuncta erant. Contra autem neque verisimile est tam accurate eum in descriptionibus hærere, neque de locis temporibus et personis tam clare et distincte singula tradere potuisse, nisi ipse de illis omnia perspecta habuisset: neque fieri potuit totum opus, quod mores et res gestas hominum attinet, tam apte inter se cohærere, si memoria istorum temporum ignota esset et obscura. Eo igitur temporis intervallo Homerum vixisse credibile est, in quo Trojani belli memoria integra adhuc permansit; in quo mores hominum et totius Græciæ status haud ita multum de pristina

[d] *Thuc.*, lib. i. c. 20, 21, &c.

consuetudine deflexerant; quanquam in artibus quibusdam miri progressus esse potuissent. Facilis autem Homero vitio temporum etiam post paucos annos amplificatio. Centum igitur annos a Trojæ excidio ipsum Poetam distare arbitror: quod etiam si hujus loci esset pluribus argumentis probari posset. Totum illud spatium sub Homericorum temporum nomine intelligo: neque mihi videor temere evagari, si uno intuitu tot annorum ambitum complectar.

Quæ igitur præsentis sunt quæstionis ita distribuo, ut ea mihi primum tractanda suscipiam quæ ad totius Græciæ statum pertinent, deinde instituta et disciplinas civiles quæ in singulis civitatibus tunc temporis locum habuerunt, tertio privatæ vitæ consuetudines et mores, et postremo Artium et Scientiarum statum: qua certe distributione omnem illam materiem et sylvam complectimur, quæ ad Poetæ subsidium in promptu erat.

Vetustiorem igitur Græciæ historiam transeundam esse censeo, quæ neque præsentis consilii est, neque in lucem excitari potest. Frustra quærimus quinam antiquissimi Græciæ incolæ: frustra linguæ Græcæ originem et causas indagamus: quarum certe rerum vel nulla omnino vestigia supersunt, vel, si supersint, *ἰχνηλάτου δείνου δεόνται*. Illud constat primos Græciæ incolas barbaros fuisse[e]; quo nomine illos intelligo quibus cum lingua et moribus Graiorum nihil fuit commune. Progressu temporis artes quasdam et Scientiarum rudimenta et literarum usum ab Ægypto, Syria, et cæteris Orientis partibus in Græciam transvectos esse notissimum est:

[e] *Pausan.*, l. i. *Strab.*, l. vii.

quod quidem non gravate agnoscunt scriptores Græci in universum omnes. Testimonio sint, quæ apud alios de Cecropis in Atticam adventu, et Pelopis in Peloponnesum invenias, apud alios de Danai fuga ex Ægypto, et de literis in Græciam per Cadmum invectis. Eodem referas quæ de Idæis Dactylis traduntur, et ea quæ ad Telchinas, Curetas, Cabiros et Corybantas spectant[f]. Neque enim nunc quæro quonam tempore hæc evenerint, neque quanam ex parte vera sint. Illud saltem mihi clara voce testari videntur, artes quamplurimas, tam eas quæ elegantes sunt quam quæ vitæ commodis inserviunt, non in Græcia inventas fuisse, sed sero et ex peregrinis regionibus transmissas. Artes igitur, quanquam in diversis Græciæ partibus consedisse dicuntur, in Thessalia præcipue sedem invenerunt. Ea regio jam ab antiquissimis temporibus incolarum numero, cultu, atque humanitate, et ea quæ tum erat scientia, præ cæteris eminebat. Hinc ille divinæ virtutis et sapientiæ Chiron. Ex hac regione exiit illa heroum manus, quæ prima in ignotum æquor vela dedit[g]:—

> "in nemore Pelio securibus
> Cæsa accidisset abiegna ad terram trabes."

In hac denique, quod multorum authorum consensu probari potest, exorta est lingua Græca, et ii mores qui per cæteram Græciam disseminati tot populos et loco et negotiis inter se disjunctos communi quodam vinculo devinxerunt; neque enim aliter Historiam illam de Hellene, Xutho et eorum filiis interpretandam esse censeo. Ipsi Athenienses Ioni Thessalo et nomen suum et instituta utilissima debere

[f] *Strab.*, l. 9.

[g] *Enn. apud Cic. ad Her.*, l. ii. c. 22.

se fatebantur. Eandem familiam et linguæ suæ et nominis auctorem agnoscebant Peloponnesii tam illi qui Dorici quam qui Æolici generis fuerunt. Duravit autem hæc Thessalorum potentia usque ad Heroica tempora: uni scilicet Thessaliæ debetur fere pars quarta totius exercitus qui ad Trojam militavit[h]. Sed ea quæcunque fuit disciplina et vitæ ratio latius jam et ad totam Græciam permanavit.

Erat autem Græcia jam tum in diversas regiones distributa, et eas iisdem fere limitibus conclusas quos in florentissimis suis temporibus agnoscimus. Quæ quidem res, ut mihi videtur, Graiorum nomen et splendorem præ cæteris aluit et sustinuit. Erat concertatio quædam et ardor animi dum singulæ civitates in hac aut illa re ad principatum adsurgere optabant. Hinc artes et scientias ab externis sibi regionibus transmissas avide arripiebant, et ad ulteriores profectus acerrimo studio enitebantur. Hæc igitur res etiam in primo bonarum artium exortu certe non nihili erat. Sed crescentes populi opes seditionibus et aliorum in sedes suas incursionibus infractæ sunt et perturbatæ: neque enim tunc temporis tuto in suis finibus vivebatur, neque vetustiores Græci patriam et natale solum eo quo posteri amore colebant; sed potentioris populi adventu non inviti ex illa cedebant. Neque mari neque terra commercium erat: neque alio consilio tellurem exercebant, nisi ut ex illa parcum sibi victum quærerent. Nondum opes comparabant, neque oppida muris munita habebant. Nondum etiam arboribus conserendis operam dabant, quæ scilicet alteri seculo profuturæ sint. Hanc nobis vetustioris Græciæ faciem exhi-

[h] *Il.* B. *Numerus navium* = 1186; *nav. Thess.* = 280.

buit Thucydides[i], quæ quidem aliqua ex parte ad Trojani belli tempora duravit. Migrationum autem istarum, cum tot numero fuerunt, historiam frustra desideres: indicia quædam et obscura earum testimonia supersunt. Non enim alio referenda sunt quæ de Pelasgis apud omnes fere auctores traduntur[k], tot eos regiones occupasse et tot populis nomina dedisse. Ex uno Homero discas eos in Thessalia[l], Creta[m], apud Dodonam[n] et Larissam[o] Asiæ minoris sedem habuisse. Tandem Græcia tot procellis agitata cœpit quiescere, et crescentibus jam opibus intra fines suos sese continere[p]; eos qui temere extra suos evagati sunt armis propulsare, et in locis editis oppida munire: quarum rerum omnium apud Homerum indicia non obscura agnosco. Etenim illa Ulyssis[q] :—

> Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
> Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.

et[r]

> Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων
> Γίνεται, εἴπερ καὶ τις ἀπόπροθι πίονα οἶκον
> Γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων.

viri sunt non leviter de patria sentientis, sed qui illam in carissumis habuit; neque facultates istæ, procorum lubidine absumptæ, indignæ fuerunt quæ armis defenderentur. Illa etiam Achillis ubi bellorum causas recenset eodem redeunt[s] :—

> Οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους,
> Οὐδὲ ποτ' ἐν Φθίῃ ἐριβώλακι βωτιανείρῃ
> Καρπὸν ἐδηλήναντ'.

[i] Lib. i. c. 2, &c.

[k] Vid. *Dionys. Hal.*, l. i.; *Strab.*, l. v. p. 220; vii., ix., xii., xiii.; *Thuc.*, l. i. c. 8.

[l] *Il.* B. 681.

[m] *Od.* T. 177.

[n] *Il.* Π. 233.

[o] *Il.* B. 840.

[p] *Thuc.*, lib. i. c. 8.

[q] *Od.* A. 58.

[r] *Od.* I. 34.

[s] *Il.* A. 154.

Et ille Grandævus Nestor jam ante Bellum Trojanum Pylios et Eleos acriter et pertinaciter de suis opibus inter se pugnantes refert. Exortum est autem bellum *ἀμφὶ βοηλασίην*. Sed quod maximum est, fuerunt jam Heroicis temporibus urbes muris validissimis munitæ. Jam tum eminebant illæ "præclaro nomine Athenæ." Erat etiam in ore omnium Thebarum expugnatio, de qua re ipsum Homerum audiamus[t]:—

Ἡμεῖς τοι Θήβης ἕδος εἵλομεν ἑπταπύλοιο
Πειθόμενοι τεράεσσι Θεῶν καὶ Ζηνὸς ἀρωγῇ.

Fuit nimirum ea tempestate magnum opus et dignum illa Heroum manu urbem mœnibus munitam expugnare. Nec prætereundæ sunt Mycenæ—*ἐϋκτίμενον πτολίεθρον*[u]—neque illa Tirynthis mœnia quæ recentiori Græciæ miraculo fuerunt[x].—*Τιρυνθά τε τειχιόεσσαν*[y]. Possim alias recensere, Corinthum, Calydona[z], et Orchomenum Minyeum. Animadvertendum autem est paucas esse ex tot civitatibus, quibus ea potentia et stabilitas accesserat, et illas plerumque in locis mediterraneis et editissimis sitas. Exemplo sit Corinthi et Athenarum Acropolis; et illa Homeri, *ἐΰκτιτον Αἶπυ*[a]—*αἰπεινὴν Γονόεσσαν*[b]—*Δίου τ' αἰπὺ πτολίεθρον*[c]—*Πύλου*[d] *τ' αἰπὺ πτολίεθρον*—quorum ipsa nomina loci naturam designant. Fuit quoque Tiryns regum Argivorum arx medios inter montes munita[e]—adeo periculosum

[t] *Il.* Δ. 406.
[u] *Il.* B. 569. *Pausan.*, l. vii. c. 25.
[x] *Strab.*, l. viii. p. 372; *Pausan.*, l. ii. c. 25, et l. ix. c. 36.
[y] *Il.* B. 559.
[z] *Il.* I. 570—585.
[a] *Il.* B. 592.
[b] *Il.* B. 573.
[c] *Il.* B. 538.
[d] *Od.* O. 193.
[e] *Strab.*, l. viii. p. 372.

erat adhuc in loco campestri et maritimo sedem habere. Quod si nonnullæ urbes videntur oram maritimam occupasse, prout ab Homero recte conjicias, qui Κηρινθόν τ' ἔφαλον [f]—Ἔλος τ' ἔφαλον πτολίεθρον [g]—χαλκίδα τ' ἀγχίαλον —Ἀγχίαλον τ' Ἀντρῶνα [i]—nominat, eas tamen cum Thucydide [k] libenter statuo Trojana tempora exiguo prorsus intervallo antecessisse. Sed nusquam magis distincte de rerum instabili statu, et meliorum temporum initiis loquitur Homerus quam in Odyssea ubi de fratribus Amphione et Zetho agit [l]:—

> Οἱ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο,
> Πυργωσάν τ'· ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτον γ' ἐδύναντο
> Ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερῷ περ ἐόντε.

Hæc igitur simul sumpta nobis designant populum post multas et magnas vicissitudines paulatim sese erigentem, et eum sibi locum vindicantem, unde vires suas tuto excitare et experiri posset; ἐν τούτῳ τῷ τρόπῳ μᾶλλον ἤδη ὄντες, ὑστέρῳ χρόνῳ ἐπὶ Τροίαν ἐστράτευσαν [m]. Post Trojam captam migrationibus iterum lacessita est Græcia; tot enim ducum et regum ad Trojam commoratio rerum novarum studio locum dedit:—

> "Militia ex illa diversum ad litus adacti
> Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
> Exsulat, Ætnæos vidit Cyclopas Ulysses.
> Regna Neoptolemi referam, versosque Penates
> Idomenei? Libycone habitantes litore Locros?
> Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivum
> Conjugis infandæ prima intra limina dextra
> Oppetiit—devictam Asiam subsedit adulter [n]."

f *Il.* B. 538.
g *Il.* B. 584.
h *Il.* B. 640.
i *Il.* B. 697.
k *Thuc.*, l. i. c. 7.
l Ib., c. 8.
m *Od.* A. 262.
n *Virg. Æn.*, xi. 261.

Heraclidarum reditus fere omnem Peloponnesum excitavit. Eodem fere tempore [o] Bœoti paucis ante annis sedibus suis ejecti in patriam redierunt, et tum demum conquievit tota Græcia, nec nisi finitimorum bellis perturbata est; et otium jam adepta magnis et præclaris rebus se accinxit.

Sed vetustioris Græciæ imbecillitas et incrementa ejus nusquam melius erui possunt quam ex rebus nauticis. Prima hujusce rei initia fuerunt prædonum incursus, qui agros litoribus finitimos quæstus vel etiam victus gratia diripiebant. Adeo in illis temporibus neque mari neque terra quicquam tutum erat aut stabile. Hinc totæ gentes de sedibus suis deturbabantur: illinc nulla mercatorum frequentia, sed prædonum direptionibus omnia infestata. Primus omnium Minos classem sibi comparavit, et imperium maris sibi vindicavit [p]. Sublatis igitur prædonibus cæteræ Græciæ civitates inter se mercaturam facere, et negotia habere cœperunt. Sed Homeri temporibus nondum dedecori erat prædandi causa maria transire [q]:—

> *Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;*
> *Ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε*
> *Οἷά τε ληιστῆρες ὑπεὶρ ἅλα; τοί γ' ἀλόωνται*
> *Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.*

Quæ de Phæacum navibus [r] fabulose traduntur, iis accommodate dicta esse videntur, quibus rei navalis peritia adhuc prodigio fuit: parum autem in hac re profecisse etiam eo tempore quo in Asiam coloniæ deductæ fuerunt auctor est Strabo [s].

[o] *Thuc.*, l. i. c. 12; *Strab.*, l. 9.
[p] *Thuc.*, l. i. c. 4.
[q] *Od.* Γ. 71. *Thuc.* i. c. 5.
[r] *Od.* Θ. 556.
[s] Lib. i.

Ingentem sibi classem comparavit Agamemnon, et insulas quasdam suæ ditionis fecit[t]. Sed qualem classem! in qua scilicet milites ipsi remigabant[u], neque adhuc constratis[x] navibus utebantur: neque illa decantata Minois classis, quæ totum mare Ægæum victrix peragravit, velis agebatur[y]. Jam tum vero Troicis temporibus ex rerum navalium usu Corinthus opes sibi comparavit; quam scilicet Homerus vocat *ἀφνειὸν*[z]. Neque illos audio qui idcirco opulentam fuisse Corinthum existimant, quoniam per illam aditus in Peloponnesum terra dabatur. Rara etenim fuerunt ea tempestate et periculosa terrestria itinera. Unde Plutarchus de Thesei temporibus:—*ἦν οὖν ὀλέθριος ἡ πορεία τοῖς Ἀθήναζε πεζῇ βαδίζουσιν ἐκ Πελοποννήσου*[a]. Quænam autem illa mercatura, ubi via ab ipsis Athenis ad Peloponnesum latronum insidiis et injuriis infestabatur. Eadem ex Thucydide discas[b]. Et illa etiam sacrosancta hospitii jura indicio sunt quam fuit difficile et magni laboris in exteras terras hinc inde commeare[c]:—

> Τῷ νῦν σοὶ μὲν ἐγὼ ξεῖνος φίλος Ἄργεϊ μέσσῳ
> Εἰμί· σὺ δ' ἐν Λυκίῃ, ὅτε κεν τῶν δῆμον ἵκωμαι.

Quod igitur res navales Græcorum attinet, eas ante bellum Trojanum exiguas fuisse comperimus, sed jam ab eo tempore auctas esse et omni studio excultas.

Quod si in his rebus progressum quendam et profectum agnoscimus, etiam in illo multo magis

[t] *Thuc.*, l. i. c. 9; *Il.* B. 108.
[u] *Il.* B. 720.
[x] *Thuc.*, l. i. c. 14.
[y] *Pausan.*, l. ix. c. 11.
[z] *Il.* B. 570.
[a] *Plut. in Vit. Thes.*
[b] L. i. c. 5.
[c] *Il.* Z. 224.

quod hac tempestate in singulis civitatibus res publicas administrandi nova ratio invaluit. Etenim Græcia, ut prius diximus, antiquitus in suas regiones fuit distributa; ita ut singuli cognationem quandam inter se agnoscerent, et ejusdem ditionis se esse faterentur. Sed nondum erant communes totius regionis magistratus, neque communis Senatus: singulæ enim civitates in suos viros vel, ut Græcum vocabulum usurpemus, *δήμους* divisæ erant. Viris autem istis sui seorsim magistratus erant, suum concilium, sua religio et Prytaneum: quorum etiam magistratuum ea erat authoritas ut non tantum res minoris momenti administrarent, sed etiam bella susciperent[d]. Hæc certe vivendi ratio non tantum potentiæ et splendori totius populi, sed etiam cultui atque humanitati offecit. Hinc Ætolorum etiam in florentissimis Græciæ temporibus ferocia[e]; veterem enim vivendi morem *κατὰ κώμας ἀτειχίστους* servabant. Primus omnium Theseus Athenienses in unam urbem coegit, eadem jura et leges toti populo dedit, eundem Senatum et eosdem magistratus omnibus præposuit, et, ut nihil prorsus deesset quod ad hanc rem faceret, eadem religione arctius quam prius devinxit. Panathenæa scilicet instituit, festum omnium Atheniensium concursu celebrandum[f]. Ex eo igitur tempore mirum in modum Athenæ sese extulerunt. De cæteris civitatibus res non constat; sed credibile est ad Athenarum exemplar haud ita magno intervallo se composuisse.

Hactenus igitur haud absimiles ubique progressus

[d] *Thuc.*, l. ii. c. 15:—"Hanc vivendi rationem Homerus ipse attingit:—
'γαῖάν τε τεὴν δῆμόν τε πόλιν τε.'"
Od. θ. 555.

[e] *Thuc.*, l. iii. c. 94.

[f] *Plut. in Vit. Thes.*; *Thuc.*, l. ii. c. 15.

agnoscimus. Sunt et alia quædam. Neque enim antiquitus omnis Græcia iisdem quibus postea inter se vinculis conjuncta erat, neque tituli isti—*οἱ Ἕλληνες—τὸ Ἑλληνικόν*, quibus se ab aliis omnibus disjunctos esse voluerunt, adhuc Troicis temporibus in communi usu positi fuerunt. Jam prima vice communi consilio bellum intulerunt [g]. Danaos igitur, Argivos, Achæos vocat Homerus, scilicet non facile inveniens commune nomen, cui tamen locum jam dederat arctior inter se necessitudo. Totam Græciam non uno nomine designat, sed illud—*ἂν' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος* [h]—ab isto quod postea invaluit vocabulo haud ita multum abludit. Lingua autem Græca, in hac enim re testis locupletissimus est ipse Poeta, jam omnibus numeris absoluta et per totam Græciam disseminata erat. Hinc ex adverso de Trojanis loquitur [i] :—

> *Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα πολυσπερέων ἀνθρώπων.*

Et alibi [k]—

> *Οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος οὐδ' ἴα γῆρυς*
> *Ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο, πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες.*

Ibant autem Græci quibus una lingua et adeo severior disciplina [l] :—

> *Σιγῇ δειδιότες σημάντορας.*

Recens tamen ut opinor etiam hæc res erat; neque enim adhuc per totam Cretam invaluit [m] :—

> *Κρήτη τις γαῖ' ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ*
> *Καλὴ καὶ πίειρα, περίῤῥυτος· ἐν δ' ἄνθρωποι*
> *Πολλοὶ, ἀπειρέσιοι, καὶ ἐννήκοντα πόληες·*
> *Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη.*

[g] *Thuc.*, l. i. c. 3, &c.
[h] *Od.* Δ. 726—816; O. 80.
[i] *Il.* B. 804.
[k] *Il.* Δ. 437.
[l] *Il.* Δ. 431.
[m] *Od.* T. 172.

Erat etiam una omnibus Græcis religio. Delphicum enim Oraculum jam tum pari omnes observantia colebant. Agamemnon ex longinqua terra responsum ab illo petiisse dicitur[n] :—

Ὡς γάρ οἱ χρείων μυθήσατο Φοῖβος Ἀπόλλων
Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, ὅθ᾽ ὑπέρβη λάϊνον οὐδὸν
Χρησόμενος.

Neque aliunde quam ex omni Græcia tantum sibi famam comparasse, et tantas opes congessisse potuit[o] :—

Οὐδ᾽ ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει
Φοίβου Ἀπόλλωνος Πυθοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

Eadem existimatione floruit etiam Dodonæi Jovis fanum, quanquam in horrida et inculta regione situm. Achilles certe communem Græciæ præsidem Dodonæum Jovem agnoscit[p] :—

Ζεῦ ἄνα, Δωδωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου.

De eodem Oraculo Herodotus—*τὸ γὰρ δὴ μαντήϊον τοῦτο νενόμισται ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηστηρίων εἶναι, καὶ ἦν τὸν χρόνον τοῦτον μοῦνον*[q]. Suos etiam honores habuit jam tum Delius ille Apollo[r]. Etiam certaminum istorum Olympici, Pythici, Isthmii, Nemeæi originem frustra requiras. Nondum tamen ad illa totius Græciæ concursus factus esse videtur[s]. Græcos autem non prorsus inter se disjunctos esse satis aperte innuunt

[n] *Od.* Θ. 79.
[o] *Il.* I. 404.
[p] *Il.* Π. 233.
[q] *Herod.* l. ii. c. 52. *Od.* Ξ. 327.
[r] *Od.* Z. 162; *Thuc.*, l. iii. 104.
[s] *Strab.* l. viii. p. 355.

Caduceatorum jura, quæ etiam in illis temporibus omnes sacrosancta esse voluerunt. Male enim apud populos barbaros et nulla societate devinctos intelliguntur ea quæ ad jus gentium pertinent; neque illa Achillis [t]:—

Χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

apud eos locum habent quibus nullum inter se mutuo intercessit commercium. At neque legationes publicæ prorsus ignotæ fuerunt [u], neque fœderum et jurisjurandi hostibus dati leges tunc temporis impure violabantur [x]:—

Οὐ μὲν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον, αἷμα τε ἀρνῶν,
Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ δεξιαὶ, ᾗς ἐπέπιθμεν.

Hæc igitur sunt quæ de totius Græciæ statu dicenda habui: quæ quidem si non accurate et seriatim ad historiæ normam componenda sunt, vitio temporum illud accidisse arbitror. Nec vero desunt testimonia ex quibus conjecturam facias.

Constat igitur totam Græciam ex eo tempore in quo artes et Scientiæ in eam invectæ fuerunt misere perturbatam esse; ita ut nulla, vel exigua, incrementa acciperet. Neque opes comparare, neque vitæ commodis consulere in promptu erat. Fuit summa omnium rerum penuria: neque rei Nauticæ operam dabant, nisi ut prædandi licentia fruerentur, neque terrestribus itineribus, nisi ut latrociniis victum quærerent. Erant tamen etiam in hoc rerum statu subsidia quædam quæ melioribus auspiciis in lucem excitari possent. Inter populos lingua, religione, et moribus inter se conjunctos, sed imperio et legibus divisos æmulationem quandam suboriri

[t] *Il.* Α. 334. [u] *Il.* Ω. 235; *Od.* Φ. 20. [x] *Il.* Δ. 158.

necesse est—quæ etiam tot malis obruta non nulla erat—et ipsæ etiam illæ quotidianæ dimicationes hominum animos exercitatos habuerunt. Jam vero Troicis temporibus oppida condere et munire cœperunt, in suis sedibus sese continebant, rei navali operam dabant, et ex omni parte meliori vivendi rationi studebant. Data igitur occasione, erupit iste qui hactenus delituit animi ardor et elatus spiritus: nec sensim et lento gradu ex barbarie sese expediebant, sed ad magna facinora festinabant. Idem iste populus qui hactenus non nisi in finitimorum bellis exercitatus fuit [y], neque adhuc in rebus Nauticis peritiam et scientiam assecutus est, repente vires suas in unum conferre didicit, et centum millia armatorum hominum [z] in longinquam terram transportavit. Nec vero transportavit tantum, sed summa cum pertinacia per decem continuos annos bellum gessit. Reversi in patriam seditionibus iterum vexati sunt; sed unius seculi decursu in eam audaciam et potentiam evaserunt, ut non tantum litora Ægæi maris, sed Siciliam, Italiam, totam denique maris Euxini oram coloniis suis occuparent; ita ut nomen Græcorum a Tanai et Borysthene fluviis usque ad Rhodani ostia pertigerit. Quæ quidem omnia cum animo reputemus, facile agnoscimus eandem indolem et animi vim et iisdem fere rebus sustentatam, quam in omni Græcorum historia tantopere admirari solemus. Pari impetu Athenienses Persici belli temporibus classem de suo prima vice instruxerunt, et statim imperium maris sibi vindicaverunt. Pari audacia Peloponnesiaco bello impliciti totius Siciliæ imperium affectaverunt. Sed hæc recentiorum sunt

[y] *Thuc.*, l. i. c. 15. [z] *Il.* Β.; *Thuc.*, l. i. c. 10.

temporum. Quod hanc rem attinet, eo tempore Trojam captam esse et Homerum vixisse arbitror, in quo primum haud dubia effulserunt nominis et splendoris Graiorum initia—in quo scilicet, id quod maxumum est, in suos regiones distributa erat Græcia, lingua moribus et religione inter se devinctas, sed easdem imperio et legibus divisas.

PRÆLECTIO TERTIA.

QUÆ de totius Græciæ statu hactenus disputata sunt, non eo tantum nomine mihi discutienda suscepi, quod per se magna sunt, sed quo facilius et rectius ad eam quæstionis nostræ quæ superest partem deveniamus. Frustra enim apud homines prorsus incultos et bestiarum ritu victum hinc inde quærentes leges et instituta civilia requiras. Tum demum in his rebus versari discunt, cum in finibus suis conquiescere et vitæ commodis studere assueverint; unde factum est, ut eosdem quos in omni Græcia agnovimus, in singulis etiam civitatibus progressus agnosceremus. Erunt nimirum etiam ex hac parte quædam non obscura magnarum rerum primordia. Jam vero quasi aditu dato singula perscrutemur.

Ut igitur ab illo quod maximum est incipiam, ea per universam Græciam invaluit Reipublicæ forma quæ in illa rerum humanarum conversione quæ juxta naturam fieri solet *ἐν τῇ πολιτειῶν ἀνακυκλώσει* (quod aiunt Græci[a]) *ἐν τῇ φυσέως οἰκονομίᾳ* inter primas adnumeranda est, non illam dico quæ inter male consociatos homines et vix in unum coactos locum habet, si forte quisquam animi au-

[a] *Polyb.*, l. 6.

dacia et corporis robore præ cæteris emineat. Longe alium nobis regem designant illa Homeri[b]

Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν
Οὐδ' οὕτω γεραρόν· βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν.

virum scilicet divina quadam facultate præditum, et cui personæ summa dignitas accesserat. Ex eodem fonte profluit epitheton illud tot vicibus usurpatum, *διοτρεφέων βασιλήων*. Nec vero illam dico quæ Tyrannis appellatur, in qua scilicet ex unius nutu pendent omnia. Etenim Tyrannorum imperium non nisi multis postea annis in Græcia invaluisse locuples auctor est Thucydides[c]. Nec vero reges tunc temporis imperium exercebant legum vinculis adstrictum: vix enim adhuc ad communiores vitæ usus legum authoritatem adhibere didicerant. Constat tamen summam rerum penes reges fuisse, qui et in bello et in pace Rempublicam administrabant et consiliis suis regebant. Eorum autem potestas non tam vi aut jure constabat, quam ex unico suorum cultu et observantia pendebat; erat illa quæ in periculosis temporibus iis ultro defertur, qui in re gerenda prompti, et in administranda solertes atque prudentes sunt. Eo autem res deducta est, ut regnum suum non tantum ipsi tuto occuparent, sed etiam posteris traderent; non enim aliter interpreteris illud Poetæ[d]

σκῆπτρον πατρώϊον ἄφθιτον αἰεὶ,—

neque illa quæ mox de eodem sceptro Agamemnonio magis accurate traduntur. Etenim non tantum in ipso rege divinam quandam facultatem admiraban-

[b] *Il.* Γ. 169. [c] Lib. i. c. 13. [d] *Il.* B. 46.

tur, sed etiam ad filios ejus aliquam paternæ virtutis particulam emanare credebant. Unde Tydides[e]

Οὐ γάρ μοι γενναῖον ἀλυσκάζοντι μάχεσθαι.

Etiam illud fortasse assecuti sunt ut imperium tutius et stabilius fore crederent, quod hereditario jure a patre ad filios transiret. Nec vero otiose et nullo labore imperium vel ipsi adservabant, vel a patribus traditum excipiebant; sed augenda erat vel saltem tuenda avita gloria si in eodem loco consistere vellent. Hinc tot reges de soliis suis deturbati, adeo ut Pelopidæ quanquam ex alieno loco in Græciam adsciti intra paucos annos totius fere Peloponnesi imperium adepti sint. Heraclidæ per centum annos patria sua caruerunt. Iidem mox felicioribus auspiciis reversi omnem fere Peloponnesum suæ ditionis fecerunt. Etiam regis absentiam ægre patiebatur hæc ætas, pauci enim ex tot ducibus post bellum Trojanum tuto in suis finibus consederunt. Quin et ipse Theseus Athenarum decus extrema jam senectute in exilium profectus est. Male autem aliunde exempla quæras cum hæc omnia ex Homeri Odyssea tam manifeste patent. Neque enim ad Telemachum jam ætate tenera paternum sceptrum ultro delatum est; neque contra ille audacis spiritus juvenis imperium sibi raptum non ægre tulit. Quoties illi exemplo datur Orestes paternæ cædis vindex[f]. Quoties ipse eas sibi vires accrevisse exoptat, ut familiæ suæ decus et jura possit asserere[g]:—

Ἦ τ' ἂν ἀμυναίμην εἴ μοι δύναμίς γε παρείη.

[e] *Il.* E. 253. Vid. etiam *Diomedis Orat.* *Il.* Ξ. 110, &c. *Od.* Δ. 62, &c., et ejusdem [f] *Od.* Γ. 195. [g] *Od.* Β. 62.

Quænam autem ista jura Poeta ipse liquido exponit[h] :—

Ὑμετέρου δ' οὐκ ἔστι γένευς βασιλεύτερον ἄλλο
Ἐν δήμῳ Ἰθάκης, ἀλλ' ὑμεῖς καρτεροὶ αἰεὶ.

Domum scilicet istam præ cæteris virtute eminentem esse et adeo imperii affectatricem. Etiam ipse Ulysses anno vicesimo in patriam reversus, non jam palam et aperte, sed fraude et consilio in urbem et domum suam reditum molitur. Adeo in illis temporibus omnia fuerunt periculis obsita ; et quanquam regis ipsius et familiæ suæ jura apud omnes in confesso erant, tamen ea non sine animi continua intentione, et summa rerum humanarum prudentia erant adservanda. Ea autem prudentia in duobus rebus præcipue versabatur. Non enim regi satis fuit imperatoris officio strenue fungi, nisi etiam in civilibus negotiis, et in judiciis exercitatus fuerit. Nullo certe nomine magis honorati fuerunt heroicorum temporum reges, quam quod jus dicere solebant, et controversias civium dijudicare[i] :—

δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται.

et alibi[k]

Ὃς Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε καὶ σθένεϊ ᾧ.
Εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ.

Ex iis igitur virtutibus fere tota regis authoritas pendebat, quas præcipue mirantur homines tanquam eas quæ in communitate vitæ et primæ oriuntur et sunt utilissimæ, justitiam dico et fortitudinem.

Quæ quidem omnia si satis perspecta sint, facile illud quoque sequitur regiam potestatem suos fines

[h] *Od.* O. 532. [i] *Il.* A. 238. [k] *Il.* Π. 542 ; B. 205.

habuisse, quos tuto transgredi non potuit. Etenim civem occidere præterquam in ipso prælii articulo, ἐν χειρὸς νόμῳ, nefas fuit, ut ex ipso Poeta recte colligit Aristoteles [l]. Honores autem regibus delati non tam potestatis indicia quam magnarum virtutum præmia fuerunt: iidem fere quos Spartani regibus suis indulserunt. Singulos fere recenset Homerus in præclara illa ad Glaucum oratione [m]:—

> Γλαῦκε, τίη δὴ νῶϊ τετιμήμεσθα μάλιστα
> Ἕδρῃ τε, κρέασίν τ', ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν
> Ἐν Λυκίῃ, πάντες δὲ θεοὺς ὣς εἰσορόωσι,
> Καὶ τέμενος νεμόμεσθα μέγα Ξάνθοιο παρ' ὄχθας,
> Καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης πυροφόροιο;

Atque hæc quidem, quanquam per se levia, pro temporum istorum ratione, in quibus a pristina severitate nondum deflectebatur, permagna fuerunt:—

> . . . . πάντες δὲ θεοὺς ὣς εἰσορόωσιν,—

tanquam ille oleæ ramus Olympiaci vel Pythici certaminis præmium. Victoria istis certaminibus parta mortalem ad Deos evehere solebat [n]:—

> Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Accessit illud etiam regis nomini non parvum incrementum, quod iidem Deorum ministri et sacerdotes habiti erant [o]; ipsi fere ceremonias et ritus qui ad religionem spectant peragebant. Agamemnon ipse non una vice in Iliade victimam mactat [p]. In Odyssea Nestor ipse et filii ejus in sacris versantur [q]. Eundem igitur tunc temporis suspiciebant bellici certaminis ducem, rerum civilium arbitrum, et Deorum antistitem. Qui tamen cum tanta ob-

[l] *Polit.*, l. iii. c. 14, ex *Il.* B. 390.
[m] *Il.* M. 310.
[n] *Anthol. Græc.*
[o] *Aristot. Polit.*, l. iii. c. 14.
[p] *Il.* Γ. 292; T. 266.
[q] *Od.* Γ. 430, &c.

servantia regem suum colebant, inertem et desidiæ deditum non facile patiebantur, neque enim tunc temporis ignorabantur principis erga subditos suos officia [r] :—

> Τῷ νῦν χρὴ Λυκίοισι μέτα πρώτοισιν ἐόντας
> Ἑστάμεν', ἠδὲ μάχης καυστειρῆς ἀντιβολῆσαι.

Atque ille quidem de bellica fortitudine et ducis officio; sed Epitheton illud toties usurpatum, *ποιμένα λαῶν*, latius pertingit; quo certe nomine summi philosophi, Xenophontem [s] dico et Platonem [t], contineri volunt omnem illam assiduam et vigilem curam qua bonus princeps prospiciat, ut omnes ditioni suæ subjecti quam maxime beati efficiantur. Idem Xenophon [u] ex Homerica Agamemnonis persona eruendam esse censet multiplicem illam scientiam et eximias facultates quæ arduo imperatoris officio non impares sint. Jam vero eam mihi effinxisse videor regii imperii formam quam vocat Thucydides *ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικὴν βασίλειαν* [x], cujus quidem in his et in aliis rebus libenter authoritatem sequor; illud monuisse contentus et quasi digito demonstrasse sententiam Historici iis quæ apud Homerum traduntur prorsus consentaneam esse.

Secundum dignitatis gradum proceres tenebant, ii scilicet quos conciliis suis princeps adhibebat. Hi sunt quos vocat Poeta *ἡγήτορας ἠδὲ μέδοντας*, vel cum eorum officia accuratius designat *βουληφόρους*. In hunc autem locum eos evexit vel pa-

[r] *Il.* M. 316.
[s] *Xen. Mem.*, l. iii. c. 2.
[t] *Plato in Min.* Vid. et *Aristot. Eth. Nicom.*, l. viii. c. 11.
[u] *Xen. Mem.*, l. iii. c. 1.
[x] *Thucyd.*, l. i. c. 13.

terna nobilitas vel sua virtus vel etiam ætas provectior. Unde Homerus[y]:—

Βουλὴ δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

Regem autem tam prope attingebant ut eodem nomine eos Alcinous appellet, et ipsi nihil aliud quam principatum inter pares tribuat[z]; penes illos erat de summis rebus deliberandi et statuendi jus, tam iis quæ ad bellum spectant, quam quæ civilis negotii sunt. Eundem fere locum in Republica habebant, quem in Romana Patres, in Atheniensi Senatus quingentorum, in Spartana Seniorum concilium; eum autem non tam legibus quam suæ prudentiæ et nobilitati datum. Et, ut mihi quidem videtur, in ipso illo apud Romanos venerabili Patrum consessu neque major dignitas esse potuit, neque magis severa et accurata deliberandi ratio quam ea quam refert Homerus cum alibi tum præsertim in secundo et nono Iliados libris; neque quisquam eorum omnium vel rerum prudentia vel personæ gravitate Homerico Nestori anteponendus est. Exemplo sit, illa oratio in Iliados libro nono qua regem et ducem suum modeste et decenter alloquitur, sed tamen libere. Iidem insuper proceres in privatis civium controversiis Judicum vice fungebantur, ex hac etiam parte regiæ potestatis adjutores et socii. Itaque huic etiam rei eandem fere dignitatem et authoritatem attulerunt[a]:—

Λαοὶ δ' εἰν ἀγορῇ ἔσαν ἀθρόοι· ἔνθα δὲ νεῖκος
Ὠρώρει· δύο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
Ἀνδρὸς ἀποφθιμένου· ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι
Δήμῳ πιφαύσκων· ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι·
Ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἴστορι πεῖραρ ἑλέσθαι.
Λαοὶ δ' ἀμφοτέροισιν ἐπήπυον, ἀμφὶς ἀρωγοί·

[y] *Il.* B. 53. [z] *Od.* Θ. 390. [a] *Il.* Σ. 497.

Κήρυκες δ' ἄρα λαὸν ἐρήτυον· οἱ δὲ γέροντες
Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις, ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ·
Σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χέρσ' ἔχον ἠεροφώνων·
Τοῖσιν ἔπειτ' ἤϊσσον ἀμοιβηδὶς δὲ δίκαζον.
Κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα
Τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι.

En tribunal quo nihil majus neque sanctius Roma aut Athenæ unquam habuerunt. Sedent in Foro Judices, ætate graves, suo insigni donati, et suis satellitibus accincti; singula ordinate et solenniter agunt; circumstat interim populi corona, quæ studiis suis et plausu concertantes acuat, et judicum sententias arrectis auribus excipiat. Tantum in istis temporibus potuerunt boni mores.

Nec vero apud Homerum seniorum tantum et principum consessus habes, sed frequentes etiam populi conciones [b], alterum concilium βουλὴν vocat Poeta, alterum ἀγορὴν. Cum enim non tam vi atque imperio sed authoritate res agebatur, necesse erat plebem in partes suas deducere. Itaque ut diximus penes principes deliberandi jus erat, quorum consilia tum demum rata erant, cum populo renunciata essent [c]. In istis concionibus, ut videtur, libere loquendi potestas omnibus data erat, unde Diomedes [d]:—

Ἀτρείδη, σοὶ πρῶτα μαχήσομαι ἀφραδέοντι
Ἣ θέμις ἐστὶν, ἄναξ, ἀγορῇ,—

quæ potestas si a solis principibus usurpata est, ex ea quæ tum obtinebat superiorum reverentia illud accidisse arbitror; neque ipse Thersites tam propter fandi audaciam acerbe exceptus est, quam quod

[b] Ἰστέον γὰρ ὅτι ἡ μὲν ἀγορὰ παντὸς ἦν τοῦ δήμου κοινὴ, καὶ κηρύγματι ἐξακούστῳ ἠθροίζοντο, ἡ δὲ βουλὴ τῶν ἐκκρίτων μόνον.—*Eustath. ad Il.* Α. 144.

[c] *Aristot. Eth. Nicom.*, l. iii. c. 3. Vid. etiam *Dion. Chrysost. Orat.* 56.

[d] *Il.* Ι. 32.

importuna et contumeliosa garrulitate res magnas perturbaret. Clamore autem et plausu sententiis datis vel adversabantur vel eas confirmabant[e]:—

> Ὣς ἔφατ'. Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον.
> Μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσσῆος θείοιο.
> . . . οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπίαχον υἷες Ἀχαιῶν
> Μῦθον ἀγασσάμενοι Διομήδεος ἱπποδάμοιο.

Equidem nisi fallor in secundo Iliados libro vestigia habes concionum istarum quæ postea Athenis celebrabantur; neque aliis artibus Ulysses militibus suis moderatur, quam quibus oratores Athenienses effrænem plebis lubidinem compescebant, adeo ut Euripides non inscite ad heroica tempora transtulisse videatur ea quæ ex suis temporibus plane desumpta sunt[f]. Etiam in spoliorum distributione populi jura cernuntur, quam scilicet ipsi principi violare et immutare nefas fuit[g].

Hanc igitur Reipublicæ formam in omnibus Græciæ civitatibus fere eandem fuisse arbitror. Altius quidem Democratiæ suæ originem repetebant Athenienses et ipsum Homerum in partes suas trahebant[h]; quæ tamen si Theseum auctorem habuit, et eo regnante invaluit, at eandem cum illo periisse credibile est. Etenim, ut ex Plutarcho discimus, magna nobilium invidia et odio excepta est, ut quæ isti ætati parum convenire visa est. Qui itaque Politicis rebus student, in eo se oblectent, quod in hac remota antiquitate inveniri possunt multiplicis istius quæ postea invaluit disciplinæ vestigia; mirentur insuper, neque ullum esse civium ordinem, neque ullam Reipublicæ formam, cujus principia etiam in istis temporibus non agnoscas.

[e] *Il.* B. 333; I. 50.
[f] *Eurip. Orest.*, v. 867, &c.
[g] *Il.* A. 125.
[h] *Plutarch. in Vit. Thes.*

Hæc autem quam non levia sunt, Aristotelem testem adhibemus, qui inter varias regii imperii species eam recenset quæ Heroicis temporibus invaluit. Totum locum, cum non parum his rebus lucis offundat, exscriptu dignum judicavi; *τέταρτον δ' εἶδος μοναρχίας βασιλικῆς, αἱ κατὰ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους ἑκούσιαί τε καὶ πάτριαι γιγνόμεναι κατὰ νόμον· διὰ γὰρ τὸ τοὺς πρώτους γενέσθαι τοῦ πλήθους εὐεργέτας κατὰ τέχνας ἢ πόλεμον, ἢ διὰ τὸ συναγαγεῖν ἢ πορίσαι χώραν, ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων, καὶ τοῖς παραλαμβάνουσι πάτριοι· κύριοι δὲ ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί ἦσαν, καὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον*[i]; et alibi de iis Rerumpublicarum formis quæ apud Homerum inveniuntur: *ἐκ τῶν ἀρχαίων πολιτειῶν ἃς ἐμιμεῖτο Ὅμηρος*[k]. Hæc igitur ille Politicæ disciplinæ summus arbiter, quem respiciant velim quibus in hac re aliquid negotii est. Nobis monuisse sufficiat quosnam in his rebus, quæ in communitate vitæ maximæ sunt, profectus fecerunt Græci; singulos nempe civium ordines suum locum occupasse; et eum locum quem non legum et imperii vis, sed quem natura ipsa designaverat, quamprimum didicerant homines patriam et Rempublicam coram habere, neque adhuc increbuerat libido illa aliena jura occupandi. Eo etiam animum intendamus, illum esse rerum statum, qui omnium animos accendat et suscitet; summa plebis libertate, summa procerum inter se concertatione; cum neque in proclivi erat dignitatem et honores sibi comparare, neque a majoribus acceptas tueri. Labores enim et pericula magnis virtutibus et occa-

[i] *Arist. Polit.* l. iii. c. 14. [k] *Arist. Eth. Nicom.* l. iii. c. 3.

sionem præbent et stimulum. Accedat illud insuper quod in omni Græcorum historia non parum valuisse censeo; illa, inquam, misera et abjecta servorum conditio[l]:—

Εἴρερον εἰσανάγουσι πόνον τ' ἐχέμεν καὶ ὀϊζύν.

Facile enim libertate sua se efferebant, cum servitutis mala quotidie ante oculos obversabantur; et eam sibi virtutem adsciscebant, quæ cive Spartano et Atheniensi digna foret. Unde illud[m]:—

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Jam vero ex iis quæ supra disputata sunt, illud quoque facile sequitur Legum vim et usum illis temporibus vix omnino intellectum fuisse; nondum ex præscripto vivere didicerant. Itaque de iis ne verbum quidem apud Homerum invenies, qui tamen de omni vitæ humanæ ratione tam accurate loquitur. Publice vix ulla legibus occasio data erat; nondum enim fines suos vel potentiores vel ipsa plebs perrumpere solebat. Privatis jurgiis instituta quædam patria et vetus consuetudo vel ipsa judicum et principis sententia dirimendis sufficiebat[n]. Etenim in primo civilis disciplinæ exortu institutis quibusdam, quæ ex consuetudine originem ducunt, se regunt homines, ita ut, siquid novi suboriatur, novo principis edicto de illo cautum sit; quæ tamen instituta progressu temporis neque memoria contineri neque facile explicari possunt; et tum demum ea literis mandare cœperunt, et publica authoritate

[l] *Od.* Θ. 529.

[m] *Od.* P. 322.

[n] Ὅπουγε μηδ' αὐτὸ τοὔνομα πάλαι ἐγιγνώσκετο τοῦ νόμου παρὰ τοῖς Ἕλλησι· καὶ μάρτυς Ὅμηρος οὐδαμοῦ τῆς ποιησέως αὐτῷ χρησάμενος· οὐδὲ γὰρ ἦν κατὰ τοῦτον, ἀλλὰ γνώμαις ἀρίστοις τὰ πλήθη διῳκεῖτο, καὶ προστάγμασι τῶν βασιλέων.—*Joseph. cont. Apion.* l. ii. c. 15.

sancire. Romani certe non ante Decemvirorum potestatem scriptis legibus utebantur. Verisimile est etiam, quod mirentur fortasse nonnulli, Cretensem illam et Spartanam disciplinam quæ per tot annos incorrupta stetit, non nisi in civium animis locum habuisse. Quæ certe si sit scriptarum legum origo, non eo usque provecti sunt Græci Trojani belli temporibus; sive illud sit Zaleuci inventum, ut Strabo[o], seu ut alii volunt Draconis[p] Atheniensis; quanquam etiam ex hac parte initia quædam agnoscas. Athenienses Erectheo, Ioni, et Theseo antiquissima et optima instituta se debere agnoscunt. Quin et illud solenne Areopagi concilium dudum per totam Græciam inclaruerat. Iis ipsis autem temporibus minores quædam curiæ Palladium scilicet et Delphinium adscribuntur. Atque hæc quidem apud Athenienses qui cæteræ Græciæ in omnibus rebus præibant. Nec prætereundæ sunt Minois leges, præsertim cum de iis ipse Homerus non obscure loquitur, non enim alia de causa appellatur Minos[q] :—

Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

Fuit nempe divinæ sapientiæ et facultatis plusquam humanæ iis temporibus corpus juris absolvere. Legum ad privatas injurias pertinentium ea esse indoles videtur, ut pro quavis injuria compensatio fieret; ita enim illud apud Homerum toties usurpatum *ποινὴν* intelligo. Compensatio facta est vel pecunia data, vel si reus eidem pœnæ subjiciatur,

[o] L. vi. 259. Vid. etiam *Hymnum Chium.*, v. 313 :—

Τούτους δὲ πρώτους φασὶ χρήσασθαι νόμοις
Γραπτοῖσιν, οὓς Ζάλευκος ὑποθέσθαι δοκεῖ.

[p] *Joseph. contra Apion.*, l. iii.

[q] *Od.* T. 179.

vel si solum verteret; neque quicquam fuit crimen tam grave quod non pecunia lueretur[r] :—

> *Καὶ μὲν τίς τε κασιγνήτοιο φονῆος*
> *Ποινὴν, ἢ οὗ παιδὸς ἐδέξατο τεθνειῶτος,*
> *Καί ῥ' ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ, πόλλ' ἀποτίσας,*
> *Τοῦ δέ τ' ἐρητύεται κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ*
> *Ποινὴν δεξαμένου.*

Eadem de Germanis Tacitus, quæ ab illis per totam Europam disseminata sunt, et sunt certe nascentis justitiæ rudimenta: "Luitur homicidium certo armentorum et pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus[s]." Pausanias veterem Atheniensium legem esse ait, eum qui homicidium patravit, *φεύγειν ἢ κατὰ ταὐτὰ θνήσκειν μένοντα*[t]. Supplicium exigebant ii qui sanguine proximi erant; nondum enim ad totam civitatem eam rem pertinere statuerunt; neque supplicio modus erat nisi ex judicis sententia. Primus enim omnium Zaleucus pœnam legibus præfinire docuit[u]. Adeo ex hac parte rudes erant et indocti, sed ad meliora indies festinabant.

In his igitur rebus hodiernæ disputationi finem facere possem. Sunt autem alia quæ, cum hanc quæstionem proxime attingunt, vel ex ea profluunt, subjicienda esse censui. Etenim ex nulla re magis quam ex mercatura homines cultiores fiunt et humaniores; neque militaris rei scientia apud barbaros invenienda est, sed apud illos quibus ea stabilitas accrevit, ut vel imperium affectent, vel saltem urbem et patriam suam munitam habeant. Quod priorem attinet, exiguam fuisse necesse est in

[r] *Il.* I. 632.

[s] *Tacitus de moribus Germanorum*, c. 21.

[t] Lib. i. c. 28.

[u] *Strab.* l. vi. p. 260.

tanta rei nauticæ inscitia. In longinquis terris mercaturam facere prorsus ignotum erat; vix enim adhuc Ægæi maris litora explorata habuerunt. Quantum autem fuit in mare Euxinum navibus penetrasse satis testantur ea quæ de Argonautis fabulose traduntur; nec minus obscuri sunt et fabulosi ii qui de Italia, Sicilia, et tota Europæ occidentali plaga increbuerant rumores, neque enim

"Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdim"

Homeri commenta esse credo, sed istorum temporum de longinquis et nondum frequentatis regionibus fabellas. Etiam maritimæ profectionis periculum contremiscebant et miserabantur[x]:—

οἳ πρὶν μὲν μάλα πολλὰ πάθ' ἄλγεα ὃν κατὰ θυμὸν,
Ἀνδρῶν τε πτολέμους, ἀλεγεινά τε κύματα πείρων,—

neque tuto hinc inde commeandi potestatem dabant prædones; nec vero mercatorum nomen et illud vitæ genus prorsus ignotum erat; sed arctis potius limitibus conclusum adeo ut vix unquam sua litora desererent. Ex hoc enim pendet illa interrogandi formula, *ἤ τι κατὰ πρῆξιν*[y]; neque aliunde quam ex mercatorum frequentia tantæ Corintho opes accesserant. Fama etiam acceperunt navigandi peritiam, quam feliciter per tot secula Sidonii exercuerant[z]; fama acceperunt, quantas opes congesserant Thebæ Egyptiæ, centum portis insignes, et tanta civium frequentia stipatæ[a]. Quæ quidem omnia, ut erat Græcorum indoles, credibile est earum rerum studium, et amorem quendam excitasse. Nec vero antiquus ille Orchomenus Minyeus[b], nec Argolicus

[x] *Od.* N. 90.

[y] *Od.* Γ. 72; vid. etiam *Od.* Θ. 161.

[z] *Il.* Z. 291; Ψ. 743.

[a] *Il.* I. 382.

[b] *Il.* I. 381; *Pausan.*, lib. ix. c. 36.

Tiryns[c] nullo commercio tantas opes comparasse potuit. Quin et exercitus Græcorum durante obsidione ex mercatorum navibus eo appulsis commeatus suos accipiebat[d]. Sed ut alia prætermittam, in Odysseæ libro primo de itinere mercaturæ gratia suscepto ipse loquitur Poeta, et alio in loco de nave oneraria verba facit[e]. Merces autem nondum pretio emebant, sed inter se commutabant[f]. Quænam ista commutatio ex ipso Homero optime discendum est[g] :—

> *Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,*
> *Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,*
> *Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν,*
> *Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι,—*

neque enim adhuc in usu erat signatum argentum quo communi et facili modulo in omni mercatura uterentur ; neque inter *κειμήλια* quæ toties recenset Homerus signati nummi ulla est suspicio ; cujus certe inventio optimorum authorum consensu Phidoni Argivo adjudicatur[h]. Itaque auro et argento pretium suum ex pondere constabat ; cæteris rebus ex ratione quam habebant ad ea quæ maxime in communi usu posita sunt ; neu deesset certus quidam modulus quo singula metirentur, ex unius bovis vel plurium pretio cætera fere omnia pendebantur ; non enim tam auro atque argento quam boum et pecudum numero istorum temporum opes constabant ; *ἀργύρου γὰρ οὐκ ἦν πω τότε οὐδὲ χρυσοῦ νόμισμα· κατὰ τρόπον δὲ ἔτι τὸν ἀρχαῖον ἀντεδίδοσαν βοῦς καὶ ἀνδράποδα καὶ ἀργὸν*

[c] *Pausan.*, l. ii. 25.
[d] *Il.* H. 470.
[e] *Od.* E. 250. Vid. etiam *Od.* I. 185, &c.
[f] Vid. *Plin. Nat. Hist.*, l. xxxiii. c. 3.
[g] *Il.* H. 472.
[h] *Strab.*, l. viii. p. 358, &c.

τὸν ἄργυρον καὶ χρυσόν[i]. Etiam ipse mensurarum et ponderum usus Homericis temporibus parum notus esse videtur; loquitur quidem de illis, sed parce; nondum autem hasce res in communi usu positas esse ex eo conjectari licet, quod eidem Phidoni Argivo qui tribus fore seculis post Homerum vixit multorum authorum consensu earum inventio adscribitur[j]. Quanquam igitur ex hac parte rudes prorsus erant et indocti tamen in hac ipsa tenuitate ea principia agnoscas, ex quibus omnis mercatura pendet. Græci adeo ex hisce initiis profecti paucorum seculorum decursu totum mare Euxinum mercandi gratia coloniis suis occupaverunt. Illud etiam obiter animadvertendum est, suum Talentum etiam istis temporibus habuisse Græcos: ex trutina scilicet deductum, ex qua omnis computandi ratio.

Restat etiam altera res, quæ publice ad totam civitatem spectat, neque a civili vitæ ratione recte disjungi potest; militaris rei scientiam dico; de qua primum illud constat, neminem fuisse, qui quidem civis fuerit, qui non arma tractare et militis officio fungi potuit; neque enim quietum civem, et pacis artibus deditum ea tempora facile patiebantur; non tantum ab externo hoste periculum erat, sed civium jurgia inter se vi et ferro plerumque dirimebantur. Sed quod bellandi rationem attinet, jam prima vice Trojani belli temporibus exercitum in longinquam terram eduxerunt. Græcorum enim bella inter se non nisi cum finitimis commissa erant, et uno fere prælio decernebantur. Urbium expugnatio omnino ignota erat. Apud Trojam igitur tot annos

[i] *Pausan.*, l. iii. c. 12.

[j] *Schol. in Pind. Olymp.* 13; *Strab.*, l. v. p. 358; *Plin.*, l. vii. 56; *Herod.*, l. vi. 127.

commorati agros finitimos diripiebant, et frequentibus præliis hostem lacessebant; sed urbem circumvallare, vel instrumenta bellica mœnibus admovere nondum didicerant. Quin et in ipsis præliis ex intervallo rem gerebant, neque enim aliter illa singulorum certamina, nedum colloquia, locum habere potuerunt. Nondum tuba signum dabant[k]; neque signa militaria in usu erant; neque adhuc Pœana suum in pugnam ruituri auspicabantur; vix in manipulos copias distribuere didicerant[l]; adeo ut illi Nestoris et Menesthei peritiæ vix alia agendi facultas dabatur, nisi ut intra ordines suos continerent, et suum seorsim locum peditatui et equitatui adsignarent; et illa Agamemnonis imperatoria virtus in excitandis militibus potius versabatur, quam in ordinibus disponendis[m]. Nec vero prorsus rei militari sua incrementa defuerunt. Etenim castra ponere, vallo et fossa ea cingere, excubias agere noverunt, et cætera fere per quæ citra periculum in hostili terra commorarentur satis comperta habuerunt. Iisdem fere armis quibus recentiores Græci accingebantur, neque mediocrem in illis usum habebant[n]:—

> *Οἶδ' ἐπὶ δεξιὰ, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν*
> *Ἀζαλέην, τό μοι ἐστὶ ταλαύρινον πολεμίζειν·*
> *Οἶδα δ' ἐπαΐξαι μόθον ἵππων ὠκειάων,*
> *Οἶδα δ' ἐνὶ σταδίῃ δηΐῳ μέλπεσθαι Ἄρηϊ,—*

neque quod maximum est, illos latuit, non ex singulorum virtute, sed ex acie conferta et ex omni

[k] Vid. *Suidam*, in voce Κώδων.
[l] Ex Nestoris consilio *Il.* B. didicisse Agamemnonem aciem in ordines redigere vult *Dio Chrys.* Orat. 56.
[m] Vid. *Il.* Δ.
[n] *Il.* H. 238.

parte armis suis septa prælii eventum pendere[o]:—

πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες.
Ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες,—

adeo ut in illis Homeri perlegendis sæpenumero videor mihi Spartanæ phalangis vel Romanæ legionis disciplinam ante oculos habere; et ipse Thucydides nusquam Homerum propius sequitur, quam cum Lacedæmoniorum disciplinam sibi illustrandam suscipit; præsertim in memorabili illo prope Mantineam prælio[p]. Etiam ex ipsius Poetæ verbis discriminis istius originem eruere licet, quo Græci se ab exteris omnibus, quos barbaros vocabant, sejunctos esse voluerunt; non enim alio consilio alteri aciei summum in ipso congressus articulo silentium tribuit, alteri barbaricum clamorem[q], quam quod Græcos in omni bona disciplina provectiores esse voluit.

Atque hæc quidem fusius et accuratius explicari posse satis scio; sed eo usque rem deduxi ut si istorum temporum Græcos incultos esse agnoscamus, ab agresti tamen illa et immani sævitia longe remotos esse fateamur; apud quos si omnia imperfecta, quædam etiam vix inchoata reperiamus, atqui in illis quæ maxima sunt, quæ communitatem vitæ devinciunt et continent, priscam illam simplicitatem contemplari licet, unde ad meliora et majora evehimur; adeo ut illæ facultates quæ in regendis hominibus et in publicis rebus administrandis cernuntur, occasionem et locum nactæ fuerint, in quo se exercerent. Jura adeo et instituta istorum temporum parum certe suis numeris ab-

[o] *Il.* N. 152; O. 618. Vid. et initium lib. tertii *Il.* etiam *Il.* Π. 210, &c.

[p] Confer *Thuc.*, l. v. c. 70; &c.

[q] Vid. *Il.* Γ. 1, &c.; Δ. 426, &c.

soluta, sed tamen suis et cara et in summo pretio fuerunt. Exemplo sit, primum illud Nestoris [r] :—

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος.

Hæc enim non nisi ab illo profecta sunt, qui jura et vincula tam privatæ domus et suæ viciniæ quam totius civitatis perspecta habuit; qui suos Lares et Deos patriæ Indigetes pii et sancte colebat. Adjiciam illud etiam Achillis [s] :—

— ὅς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν
Ἀτρείδης, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην.

Eodem redeunt ea quæ de hominibus dicuntur prorsus incultis, quibus nulla istiusmodi intercessit necessitudo [t] :—

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες,—

et de Cyclope [u],—

Ἄγριον, οὔτε δίκας εὖ εἰδότα οὔτε θέμιστας.

Publicam autem fidem violasse, et jura patriæ sub pedibus conculcasse summæ fuit nequitiæ et Jove ultore dignum [x] :—

— ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

Iterum [y],—

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι, γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν.

Hisce igitur omnibus rite perpensis, jam non vereor illud affirmare, fuisse incitamenta quædam

[r] *Il.* I. 63. [s] *Il.* I. 647. [t] *Od.* I. 112.
[u] *Od.* I. 215. [x] *Il.* Π. 386. [y] *Il.* Δ. 160.

et subsidia, non tantum in ea quam supra tractavimus totius Græciæ distributione, sed etiam in singulorum institutis et rerum civilium ratione, quæ mirum illum ardorem animi, qui Græcos præ cæteris evexit, foverent et adjuvarent, et isti etiam scientiæ, quæ postea invaluit, aditum præberent.

PRÆLECTIO QUARTA.

EANDEM fere inter Poetas laudem videtur meruisse Homerus, quam inter Philosophos Socrates, in domos scilicet et vitam communem artem suam deduxisse; ita ut neque quicquam aspernaretur, quod ad bene vivendum spectet, neque in ulla re felicius se exerceret. Itaque ad illam quæstionis nostræ partem lubens me confero, quæ in Heroicorum temporum moribus et vita domestica versatur; et quidem facili labore eo jam provehimur, ad privatam enim vitam pertingit ea quæ in publicis rebus cernitur humanitas; nulla enim est gens tam barbara, in qua illud[a] :—

θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων,—

locum non habet; sero autem nec nisi in privatis commerciis versati ad Rempublicam instituendam se accingunt homines, et familiæ suæ prius moderari quam Rempublicam administrare discunt. Si quos igitur in politica disciplina progressus fecerint Græci, necesse est eosdem certe vel majores in domesticæ vitæ cultu fecisse; neque aliud nunc agimus, quam ut iisdem vestigiis insistentes eadem principia paulo altius eruamus. Nec vero injucundum erit cum iis

[a] *Od.* I. 114.

magis familiariter versari, apud quos magni animi indicia et ingentes spiritus etiam in gravissumis rebus agnovimus, neque deerit materies, quam quidem ipsius Poetæ opera ultro subministrant. Illud potius verendum est, ne in his amœnis certe locis longius quam par est desidere videamur; singula enim minutatim prosequi et in medium proferre longum foret, et a proposito nostro alienum. Itaque ea tantum attingam quæ populi indolem et Heroicæ vitæ habitum designare sufficiant.

Jam vero quanquam in illis temporibus morum elegantiam et exquisitam urbanitatem frustra requiras, non tamen deest vel officiorum quæ inter cives mutuo intercedunt ratio (sive illa sint privatæ amicitiæ sive arctioris necessitudinis) vel affectuum quibus inter se devinciuntur pulcherrima exempla. Rerum adeo domesticarum curam et satis perspectam habuerunt, et studiose. colebant. De illa loquitur Homerus tanquam ex altera parte militari gloriæ respondenti [b]:—

ἔργον δέ μοι οὐ φίλον ἔσκεν
Οὐδ' οἰκωφελίη, ἥτε τρέφει ἀγλαὰ τέκνα,—

ipso certe vocabulo rem non parum intellectam celebrans. Neque aliunde ille *Ζεὺς ἐφέστιος* [c], vel alio nomine *Ζεὺς ἑρκεῖος* [d], privatæ familiæ præses, quam ex vinculis illis quæ domesticam consuetudinem continent rite excultis; quæ scilicet Deum vindicem in partes suas traherent. Illum itaque violare qui vel Forum supplex attigisset, vel sub eodem tecto vixisset, et iisdem Penatibus assue-

[b] *Od.* Ξ. 223.

[c] *Od.* Ζ. 159; Ρ. 156; Υ. 231.

[d] *Od.* Χ. 334.

visset, religio erat. Ad focum Alcinoi supplex confugit Ulysses[e]:—

> κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι
> Πὰρ πυρί·

Achillem obtestatur Lycaon per Lares et Penates ejus sub quorum tutela ipse aliquamdiu vixit[f]:—

> Ἀντί τοί εἰμ' ἱκέταο, διοτρεφὲς, αἰδοίοιο,
> Πὰρ γὰρ σοὶ πρώτῳ πασάμην Δημήτερος ἀκτήν.

Quin et illa respiciamus quæ apud Homerum singulis fere libris leguntur, illa, inquam, per quæ a bello et cæde ad domesticæ vitæ curas et sollicitudines animum lectoris abripit. Exemplo sit præclarum illud de Diomede[g]:—

> Φραζέσθω, μή τις οἱ ἀμείνων σεῖο μάχηται,
> Μὴ δὴν Αἰγιάλεια περίφρων Ἀδρηστίνη
> Ἐξ ὕπνου γοόωσα φίλους οἰκῆας ἐγείρῃ,
> Κουρίδιον ποθέουσα πόσιν τὸν ἄριστον Ἀχαιῶν,
> Ἰφθίμη ἄλοχος Διομήδεος ἱπποδάμοιο,—

neque aliter Protesilai fatum luget poeta[h]:—

> Τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο
> Καὶ δόμος ἡμιτελής.

Nihil scilicet in ipsa morte acerbius videbatur, quam quod suavissimis hisce commerciis in posterum carendum foret[i]:—

> "Linquenda tellus, et domus, et placens
> Uxor."

Innumera fere exempla ad manum sunt; quæ quidem omnia in affectibus concitandis non parum valent; quorum ex frequentia illud saltem colligere licet, harum rerum curam et pretium in omnium

[e] *Od.* H. 153.
[f] *Il.* Φ. 75.
[g] *Il.* E. 411, &c.
[h] *Il.* B. 700.
[i] *Horat.*, lib. ii. ode 14.

animis insedisse. Illud quoque miserum videbatur, filios defuturos esse qui bona paterna exciperent[k] :—

— χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέοντο.

Adeo in illis temporibus ubi armis omnia perstrepuerunt, rerum civilium curæ et negotia in summo pretio habebantur; neque meo saltem judicio veri illi et sani affectus quos apud Homerum passim agnoscas, tam illi sunt quos natura sponte suggerit, quam excultæ humanitatis indicia. Tota Odyssea in his rebus versatur; neque illud intelligo, unde sibi tam amplam materiem congessit poeta, nisi ex moribus et vita suorum temporum; neque quemnam in finem barbaro et feroci populo humaniores affectus ante oculos sistat.

Sed accuratius singula perpendamus; ex hac enim parte officiorum rationem exactissimam invenies, ex illa agrestem simplicitatem. Etenim Telemachi erga patrem pietas, Penelopes erga conjugem fides, et ipsius Ulyssis de domo et familia sua paterna sollicitudo istiusmodi sunt, quæ in felicissimis temporibus locum habent. Contra autem proci[l] :—

Ἥμενοι ἐν ῥινοῖσι βοῶν οὓς ἔκτανον αὐτοί·

et in aliena domo superbe tumultuantes ferociam quandam præ se ferunt. Neque aliter de ipsa illa quæ tum obtinuit consuetudine judicandum est, convocandi ex finitimis regionibus proceres, si forte matrimonio locanda esset regis filia; cujus tamen rei multis postea seculis insigne exemplum habes apud[m] Herodotum in nuptiis Agaristæ Clisthenis filiæ. Matrimonii leges, ut fieri solet, antiquissimæ erant, ab Ægypto, credo, et Oriente transvectæ[n], et jam ab

[k] *Il.* E. 158.

[l] *Od.* A. 108.

[m] *Herod.*, l. vi., ad finem.

[n] Vid. *Suid.*, in voce Προμηθεὺς; *Athen.*, l. xiii.

ipsis initiis summa cum observantia colebantur. Duas uxores habere nefas fuit, et si forte pellex vel captiva fœmina in domus et tori consortium reciperetur, at non eodem loco et honore erat, quo illa quæ *κατ' ἐξοχὴν* appellatur Κουριδίη *ἄλοχος*—*μνηστὴ ἄλοχος*. Neque nuptialis lecti fides et castitas impune violabantur. Hinc illa Medeæ et Clytæmnestræ vindicta; hinc etiam ipsa, ut fertur, Trojani belli origo; neque eadem jura sibi vindicabant ii qui pellice prognati sunt, quæ legitimarum nuptiarum soboles. Hi sunt qui paterna bona inter se sortiebantur, unde illa Græcorum *κληρονομία* ortum habet [o], et illud etiam Homericum *πολυκλήρων ἀνθρώπων*, cæteris ex arbitrio hæredum parce quædam distribuebantur [p]. Jam tum etiam festivitate et choro et conviviis nuptiæ celebrabantur, et virgines novæ nuptæ faces prælucebant [q]:—

> Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων δαΐδων ὑπολαμπομενάων
> Ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει·

ut ipsa ritus solennitate vincula matrimonii confirmarent. Sed quid multis moror? ex unico Homeri loco satis discendum est, quanto in honore jam tum habebatur amor et fides erga conjugem; quam illi ab aliis suscipiebantur "quos irrupta tenet copula [r]:"—

> Σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς,
> Ἄνδρά τε καὶ οἶκον καὶ ὁμοφροσύνην ὀπάσειαν

[o] Διὸ καὶ πολυκλήρους ἀνθρώπους μετ' ὀλίγα ἐρεῖ, ἐφ' οἷς πολλοὶ βάλλονται κλῆροι κατὰ λαχμούς· ὅθεν καὶ τὸ κληρονομεῖν παρετυμολογεῖται· δῆλον γὰρ ὡς κλήροις διενέμοντο οἱ παῖδες τὴν πατρικὴν κτῆσιν· ὅθεν ἡ κληρονομία λέγεται.—*Eustath. in Od.*

[p] *Od.* Ξ. 280.

[q] *Il.* Σ. 492.

[r] *Od.* Z. 180.

Ἐσθλήν· οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πολλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι· μάλιστα δὲ τ' ἔκλυον αὐτοί.

Eodem spectat felicitas ista quæ in numero filiorum cernitur. Hinc Pelops et potens et honoratus [s]. Hinc beatus Priamus [t] :—

Καὶ σὲ, γέρον, τοπρὶν μὲν ἀκούομεν ὄλβιον εἶναι,
Ὅσσον Λέσβος ἄνω, Μάκαρος ἕδος, ἐντὸς ἐέργει,
Καὶ Φρυγίη καθύπερθε καὶ Ἑλλήσποντος ἀπείρων,
Τῶν σε, γέρον, πλούτῳ τε καὶ υἱάσι φασὶ κεκάσθαι.

Sunt et alia in contrariam partem accipienda. Donis scilicet et mercede emendam esse uxorem [u] ; eandem peractis nuptiis in interiore domus parte, quam ὑπερῶϊον vocabant, vitam egisse, suis operibus omnino deditam ; neque colloquiis neque conviviis hominum interfuisse [x] :—

— τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
Ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
Ἔργον ἐποίχεσθαι· μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει,—

quanquam illud quidam plus nimio queruntur ; non enim ab omni hominum consortio ablegatæ erant mulieres ; cum ipsæ virgines choris interesse solebant, quos etiam choros non infrequentes fuisse constat [y]. Quod si hæc ea sint, quæ apud barbaras fere gentes locum habent, sed Andromachen, sed Penelopen tot egregiis animi dotibus, tam excellenti virtute præditas, non nisi in illis temporibus invenies, in quibus fœmineæ virtuti sua laus et dignitas accesserat ; neque audiendi sunt, qui suavis-

[s] Vid. *Thuc.*, l. i.

[t] *Il.* Ω. 543.

[u] *Il.* Α. 244 ; *Od.* Ο. 366 ; idem apud Romanos matrimonii ritus, vocabatur autem Coëmptio. Mutuis etiam muneribus apud utrosque sese obligabant uxor et maritus.

[x] *Od.* Α. 356.

[y] *Il.* Σ. 590, &c. ; *Od.* Ζ. 157.

simam illam animi oblectationem, quæ in vero amore cernitur, ab hac ætate prorsus abfuisse censent. Longe enim aliter se res habet. Frustra scilicet requiras fucum istum et lenocinia amoris, quæ nimis exquisita recentiorum cura huic rei circumdedit; sed verum et sincerum affectum, quo natura animos hominum imbuit, passim agnoscas; neque illum venustate et mollitie expertem; neque enim Homerum latuerunt θελκτήρια ista, quæ in alliciendis hominum mentibus tam miram vim habent[z]:—

Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς
Πάρφασις, ἥτ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων,—

nec virginea pulchritudo et verecundia ignota jacuit aut inhonorata[a]:—

Τρισμάκαρες μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Τρισμάκαρες δὲ κασίγνητοι· μάλα πού σφισι θυμὸς
Αἰὲν εὐφροσύνῃσιν ἰαίνεται εἵνεκα σεῖο,
Λευσσόντων τοιόνδε θάλος χορὸν εἰσοιχνεῦσαν.

Sint igitur hæc, si placeat, severiora et simpliciora, sunt tamen et honesta et sincera, et ut dicam quod sentio, "natura tam bene dotata, vix curat ornari."

Nuptiarum sanctitati affinis est Patris erga filium amor, affinis etiam fraterna caritas; quæ quidem omnia quam egregie illustrantur apud Homerum, quam accurate et vere depinguntur, nemo ignorat. Nec vero in his consistit Poeta, sed remotiores etiam affinitatis gradus attingit, qui apud homines prorsus incultos nihili habentur[b]:—

Ὄφρα ἴδῃς πρότερόν τε πόσιν, πηούς τε, φίλους τε.

Addam etiam illud cum sit certe eximiæ suavitatis[c]:—

Δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος, εἴ ποτ' ἔην γε.

[z] Il. Ξ. 216. [a] Od. Ζ. 154. [b] Il. Γ. 163. [c] Il. Γ. 180.

Nec vero patres tantum et consanguinei honore et reverentia excipiebantur, sed ii etiam quibus ex ætate provectiori rerum humanarum prudentia accreverat. Ille Agamemnonis fastus, ille Diomedis juvenilis ardor, Nestoris consiliis non gravate morem gerit. Sua quoque inter fratres majori natu reverentia dabatur. Etiam illa quæ nostri juris sunt, nec nisi in communitate vitæ oriuntur, amicitiæ vincula suum locum habent. Diomedi Sthenelus datur παραστάτης, Achilli Patroclus; quos cum nomino, plura de hac re dicere supervacaneum foret. Illud autem quo periculum suum et socios amissos memorat Ulysses affectus plenissimum est[d]:—

Ἄσμενοι ἐκ θανάτοιο, φίλους ὀλέσαντες ἑταίρους.

Aut cui vestrum non intima præcordia stringit illud toties usurpatum ὁμηλικίην ἐρατεινήν. Adeo non in illis tantum affectibus, qui bellum et inimicitias pariunt commoratur Poeta, sed in illis potius et libentius versatur, quos omnes in deliciis habent, qui animo sunt humaniori et elegantiori.

Sed ut ad alia transeamus, ex nulla re verius Homericorum temporum indolem et ingenium eruas quam ex ea quæ tum obtinuit religione; non illas dico inanes ceremonias, neque vero prodigia, portenta et auguria, et cætera istius generis; de quibus tamen illud animadvertendum est, eadem fere fuisse, quæ apud recentiores Græcos lege sancita sunt; adeo ut ex Homero fere totus religionis Græcæ apparatus facile explicandus sit. Sed hæc apud barbaros nusquam non inveniuntur. Affinis enim ferociæ superstitio; neque apud ullos tam su-

[d] *Od.* I. 566, et alibi.

perbe se effert, quam apud incultos prorsus et indoctos. Hæc igitur cum poetarum fabulis quam maxime inserviunt, non sunt tamen propria istius ætatis. Illa autem mihi videntur longe majora, quæ ex Deorum cultu pro temporum istorum ratione apprime puro oriuntur; quæ scilicet præsentem et præpotentem Deum, omnia consiliis suis gubernantem aperte denunciant[e]. Huc eventus belli et urbium excidia referebant[f]:—

Οὕτω που Διῒ μέλλει ὑπερμένεϊ φίλον εἶναι,
Ος δὴ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα,
Ἠδ' ἔτι καὶ λύσει· τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον,—

nec sine Deorum consilio aliquid auspicato aggredi videbantur: *σὺν γὰρ θεῷ εἰλήλουθμεν*[g]. Illud autem quam honestum atque sanctum quod de Hectore redivivo magnifice Homerus: *ἐπεὶ μιν ἔγειρε Διὸς νόος αἰγιόχοιο*[h]. Eximias etiam animi vel corporis facultates tanquam Dei donum suspiciebant. Hinc formulæ istæ: *δῖος Ἀχιλλεὺς, δῖος Ὀδυσσεὺς, διηγενὴς Πατρόκλεις*[i]. Reges etiam suos Diis charos esse voluerunt, unde epitheton illud *διοτρέφης*. Quin et formæ gratia et venustas Deum auctorem habuisse videbatur[k]:—

Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσέης Ἀφροδίτης·
Οὔ τοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.

Deum etiam conviviis et horis genialibus testem adsciscebant, et libationibus pacabant: neque pri-

[e] Confer etiam *Hesiodum*:—

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας
Καί νυ τάδ', αἴκ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται.
'Εργ. καὶ 'Ημ., 267.

[f] *Il.* B. 116.

[g] *Il.* I. 49.

[h] *Il.* O. 242.

[i] Vid. *Max. Tyr.*, Dissert. 22 et 36.

[k] *Il.* Γ. 64.

vatas dapes sine hisce ceremoniis auspicato instaurari posse credebant. Eundem cuivis officio et vitæ muneri et artibus singulis, etiam illis quæ minus honestæ sunt, præsidem adhibebant; eo, credo, animo, ut ubique præsentem agnoscerent. Adeo omnem vitam permanavit et in omnium animis insedit erga Deum pietas, et suæ imbecillitatis sensus[1]. Nec vero frustra est, quod ait Xenophon, eas res quæ inter humanas et diuturnitate et sapientia eminent, Respublicas scilicet et civitates religioni maxime deditas esse; vel quod eodem redit, eam simul cum humanitate vitæ adolescere, et una cum illa adaucta et stabilita inveterare. Quo magis itaque in Homericis temporibus pietatis et officii erga Deum sensum agnoscas, eo ab immani et effera vita remotiores esse fatearis. Quin et illud etiam didicerant, publica authoritate et legibus religionem sancire; quasi sine illa nulla Respublica neque hominum communitas esse posset. In hac etiam re cæteræ Græciæ facem præluxerunt Athenæ. Huic enim seculo debentur Cereris Eleusiniæ mysteria, de quibus cum accurate et plene disceptare a proposito nostro alienum est, illud tamen silentio non est prætereundum, quod tot authorum consensu affirmare licet, ex illis haurienda fuisse principia quædam beatæ vitæ et sanctioris religionis. Hinc Cicero[m]:—"Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti

[1] Habes apud *Platonem* privatæ amicitiæ numen:—

Οὐ μὰ τὸν φίλιον τὸν ἐμόν τε καὶ σόν, κ.τ.λ.

Alcibiad. i. p. 433. edit. Ticini.

[m] *De Leg.*, l. ii. c. 14.

ad humanitatem et mitigati sumus;" et Isocrates magis accurate fortasse[n]: *τὴν τελετὴν, ἧς οἱ μετέχοντες, περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδιούς τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν.* Hæc igitur de religione quatenus cum populi ingenio et indole aliquod commune habet; de amore patriæ et legum pauca quædam supra disputata sunt; adeo ut si uno intuitu complectamur ea omnia officia quæ ex pietate erga Deum, et humanæ sortis ratione, et civium inter se consuetudine et commercio oriuntur, in omnibus non parum profecisse Græcos fatendum est.

Nec vero intra suæ domus et suæ patriæ fines officiorum ratio stetit, sed latius et ad totum fere humanum genus permanavit. Ad illa iterum respicio hospitii jura, quæ huic seculo præ cæteris adjudicantur; atque hæc ideo nobis fusius tractanda sunt, quod Poeta ipse inter mores suorum temporum primas fere partes illis adscribit. Fuit itaque istorum temporum judicio humanitatis signum et pietati erga Deum affine hospitem in tectum recipere et mensæ participem adhibere. Hinc illud[o]:—

> *Ἦ ῥ' οἵ γ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι,*
> *Ἠὲ φιλόξεινοι καί σφι νόος ἐστὶ θεουδής.*

Sacra etiam fuit mensa hospitalis[p]:—

> *Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν, ξενίη τε τράπεζα·*

et ipsi Jovi ex illa suus titulus dabatur[q]:—

> *Ἀλλ' αἰδεῖο, φέριστε, θεούς· ἱκέται δέ τοί εἰμέν.*
> *Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε*
> *Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.*

Nec vero in tectum receperunt tantum sed solen-

[n] *Orat. Panegyr.*
[o] *Od.* I. 175.
[p] *Od.* Ξ. 158.
[q] *Od.* I. 269, &c.

nitate quadam singula peragebant[r]. Aquam lustralem, χέρνιβα vocant Græci, afferebant, dapes apponebant, et eas pro istorum temporum ratione sumptuosas. Adstabat Caduceator qui poculum in manus traderet, singuli denique convivæ precibus et libationibus Deum hospitalis mensæ præsidem venerabantur[s]. Peractis rite hisce omnibus tandem de genere et patria ejus quædam decenter et comiter interrogabant. Apud eos commorantem ludis et conviviis excipiebant[t], abeuntem donis prosequebantur et deducebant; et ea omnia quæ itineri perficiendo necessaria forent lubenter suppeditabant, nonnunquam etiam sese viæ duces et comites præbebant; neque enim illa Phæacum gloria ipsis omnino propria erat. Nec vero cum ipso abeunte omnis consuetudinis illius gratia et recordatio periit, sed jam ab eo tempore mutuo quodam vinculo sese devinctos arbitrabantur, quod etiam vinculum a patre ad filios transiit[u]:—

Ἦ ῥά νύ μοι ξεῖνος πατρώϊος ἐσσι παλαιός.

Atque hæc quidem certe magna. Vereor tamen ne ipsa hæc incultæ vitæ et periculosæ indicia sint, tum enim maxime hospitio opus est, cum tuto hinc inde commeandi potestas non datur, neque ex alia

[r] Vid. *Od.*, passim—præsertim lib. Α. et Η.

[s] Quo pacto recentiores Græci hospites excipiebant ex Vitruvio discas:—"Nam cum fuerunt Græci delicatiores, et ab fortuna opulentiores, hospitibus advenientibus instruebant triclinia, cubicula, cum penu cellas. Primoque die ad cœnam invitabant, postremo mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquasque res agrestes. Ita patres-familiarum in hospitio non videbantur esse peregre, habentes secretam in his hospitalibus libertatem." Lib. vi. c. 10.

[t] Vid. *Od.* Θ.

[u] *Il.* Ζ. 215.

re illa Græcorum jura originem duxerunt, quam ex mutuo periculo. Totam rem exponit Poeta[x] :—

Ἦ μὲν δὴ νῶϊ ξεινήϊα πολλὰ φαγόντε
Ἄλλων ἀνθρώπων δεῦρ᾽ ἱκόμεθ᾽·

Secula politiora et commerciis magis frequentata talibus subsidiis non indigent. Hospitio Græcorum accedit cognata illa quæ supplicibus deferebatur misericordia. Fuit[y] et illis suus *Ζεὺς ἱκετήσιος*, neque fas erat eum infecta re dimittere qui ad forum supplex confugisset[z] :—

—ἵνα καὶ Διῒ τερπικεραύνῳ
Σπείσομεν, ὅς θ᾽ ἱκέτῃσιν ἅμ᾽ αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Adeo dum sua incommoda sentiebant, sedulo tamen et humaniter ea providebant, quæ tali sorti suppetias ferrent.

Nec vero dissimulandum est, fuisse quædam apud Græcos ferociæ nondum satis perdomitæ et subactæ vestigia. Juvenes Trojanos in Patrocli rogum immolat Achilles, isti veterum sævitiæ morem gerens quæ antiquitatem fere omnem fœdavit. Lege vetitum fuit Homicidium; sed nondum satis tam atrox crimen hominum animi aversabantur. Eo hisce ipsis seculis Atticæ leges mores civium suorum studiose perducebant, illas dico, queis curias suas Areopagum Palladium et Delphinium instruebant. Furari etiam nonnunquam in laude positum erat[a], et nusquam credo acerbitate legum satis coercitum. Adeo tunc temporis et vita hominum et

[x] *Od.* Δ. 33.

[y] Vid. *Od.* Ξ. 275, &c.—ubi in ipso prælio benigne excipitur qui sub forma supplicis Ducem hostium adiit, in his etiam rebus cura principum præcipue versabatur :—

Τῷ οὔτε ξείνων ἐμπάζομαι, οὔθ᾽ ἱκετάων,
Οὔτε τι κηρύκων οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν.
Od. Τ. 134.

Vid. etiam *Pausan. Achaic.*, c. 25.

[z] *Od.* Η. 164.

[a] *Od.* Τ. 296.

facultates in assiduo fere periculo versabantur, et ille antiquus mos arma gestandi ferociæ civium tribuendus est[b]; utpote veteribus Græcis cum omnibus fere barbaris communis[c]. Nec vèro hæc obstant, et cætera siqua sint his similia, quo minus affirmare ausim in illa morum simplicitate non defuisse humanitatem quandam et cultum. Neque hoc tam ex singulis locis, quam ex ipso tenore et cursu Homericorum carminum probari velim, in quibus si officiorum ratio ex hac aut illa parte imperfecta sit, habes tamen certe affectuum incorruptam integritatem. Tota præsertim Odyssea evolvenda est. Ea nimirum passim invenies, quæ non tantum in permovendis affectibus valent, sed etiam in castigandis et subigendis.

Cum autem illa quam dico morum simplicitas non tantum in officiis cernitur, sed totam fere vitam effinxit, digna est quam etiam in levioribus rebus propius intueamur. Ex hac autem parte illud statim obversatur, quanto in honore habitæ erant vires et robur corporis; in iis enim facile superbiunt homines, et ubi paulum provecti sunt, cum reverentia quadam tanquam propitii numinis dona excipiunt. Hinc ille ludorum et campestris exercitationis amor, recte enim veteres militari gloriæ præire arbitrabantur venandi studium, et ipsa illa venatio iis temporibus usitata bellici certaminis similitudinem habuit:—*ἐπὶ κυνηγεσίᾳ ἐξιᾶσιν οἱ νέοι πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν κινδύνων, καὶ ἐπὶ θήρας παντοίας ἀφ᾽ ὧν ῥωμαλεώτεροι καὶ ὑγιεινότεροι διετέλουν*[d]. Exempla habes tam in illo

[b] *Thuc.*, l. i. c. 6.
[c] Vid. *Ammian. Marcellin.*, l. xxiii.
[d] *Athenæus*, l. i. c. 19.

Ulyssis ad Parnassum itinere venandi gratia suscepto, quam in frequentibus parabolis ex hac re petitis. Etiam fabula de hac re digna est quam consulas[e], Chironi ab Apolline et Diana dono datam esse hanc artem, et ex illius disciplina per totam Græciam propagatam. Eadem fere ludorum origo, etenim jaculum vel discum torquendo, vel etiam lucta, cursu, pugilatu, aut sagitta sese oblectabant Homerici Heroes, in quibus omnibus robur corporis et exercitatio maxime cernitur[f] :—

—λαοὶ δὲ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης
Δίσκοισιν τέρποντο, καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες.

Eadem studia Græcis ad Aulidem congregatis tribuit Euripides, Homerum auctorem eleganter secutus[g]. Itaque quanquam certamina ista publica authoritate sancita nondum in usu erant, eorum tamen rudimenta apud Homerum nemo non videt ; neque alia neque alio modo certamina instaurat Achilles, quam illi Olympici Jovis ἀγωνοθέται. Hæc autem res tandem ad finem perducta quantum ardorem per totam Græciam suscitavit, et in multa secula sustinuit satis notum est. Nec prætermittenda sunt illa, in quibus ludorum et gloriam et originem exponit Poeta[h] :—

Δεῦρ' ἄγε, καὶ σὺ, ξεῖνε πάτερ, πείρησαι ἀέθλων,
Εἴ τινά που δεδαήκας· ἔοικε δέ σ' ἴδμεν ἀέθλους·
Οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὄφρά κεν ᾖσιν,
Ἢ ὅτι ποσσίν τε ῥέξει, καὶ χερσὶν ἑῇσιν.

Ex eodem fonte profluit etiam ille qui operibus rusticis dabatur honos, quæ apud alios dedecori esse solent, messoris dico et aratoris laboribus. Eury-

[e] *Xenophon*, Κυνηγετικός.
[f] *Il.* B. 773.
[g] Vid. *Euripid. Iphig. in Aulide*, Chori Parod.
[h] *Od.* Θ. 145.

machum provocat Ulysses, seque illi robore et arte parem prædicat, seu in agrum metiendo, seu in arando, seu denique in bellicis certaminibus exerceri velit[i]. Ex eodem fonte sunt etiam illa toties usurpata Epitheta: *ἱππόδαμος, ποδάρκης, ἱππηλάτα*, et siqua sint cætera istis similia. Nec vero animi egregiæ dotes et virtutes sua laude caruerunt, et eæ præsertim quæ in publica vita et commerciis hominum cernuntur[j]:—

> Ἄλλος μὲν γάρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνὴρ
> Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει· οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
> Τερπόμενοι λεύσσουσιν.

Ille etiam cognominum usus antiquæ est simplicitatis, cuivis etenim suus titulus adscribitur vel ex usu quodam et peritia, *Ἰδομενεὺς δουρικλυτὸς, Ἕκτορος ἱπποδάμοιο*:—vel ex animi et corporis facultatibus, *κρατερὸς Διομήδης, πολυμήτις Ὀδυσσεὺς, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς*:—vel ex dignitate et generis nobilitate, *Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων*. Eadem olim apud nostrates et cæteros Europæ populos efferatis jam tum et incultis moribus consuetudo invaluit. Simplicitati autem isti accedit majestas quædam, cum virum aliquem primarium non uno tantum nomine appellant, sed potius titulorum congerie:—

> Διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ
> Ἀλκίνοε κρεῖον, πάντων ἀριδείκετε λαῶν.

[i] *Od.* Σ. 365, &c. Eodem spectant quæ ex *Homeri Margite* apud *Aristotelem* (*Ethic. Nicom.*, l. vi. c. 7) leguntur:—

> Τόνδ' οὔτ' ἂρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, οὔτ' ἀροτῆρα,
> Οὔτ' ἄλλως τι σοφόν.

Eadem titulo cohonestati sunt etiam cæteri operarii:—

> Τέκτονος ἐν παλάμῃσι δαήμονος, ὅς ῥά τε πάσης
> Εὖ εἰδῇ σοφίης ὑποθημοσύνῃσιν Ἀθήνης.—*Il.* O. 411.

[j] *Od.* Θ. 169.

Illud autem Diomedis dignitati summam etiam comitatem adjungit[k]:—

> Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην,
> Οὗ περὶ μὲν πρόφρων κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
> Ἐν πάντεσσι πόνοισι· φιλεῖ δέ ἑ Παλλὰς Ἀθήνη.

Ad convivia et otii oblectamenta transeamus, in quibus ordinatè et solenniter singula peraguntur. In usu erant, manuum ablutio, libationes Diis factæ, inter dapes sua cuique portio[l]; adeo ut nihil magis honori esset, quam majore escæ parte, aut pleniore poculo excipi, neque abfuit convivio hilaritas, neque Musices et cantus blandimenta[m]:—

> Οὐ γὰρ ἐγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
> Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
> Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ
> Ἥμενοι ἑξείης.

Etiam ille saltandi mos qui apud recentiores Græcos tanti fuit, jam tum studiose colebatur, et summo cum plausu excipiebatur[n]; nulla autem dapibus luxuria neque ullus sumptus; quanquam hanc modestiam et frugalitatem non tam istis temporibus propriam fuisse quam a Poeta virtutis loco suis datam suspicatur Athenæus[o]. Eadem etiam in vestitu simplicitas, neque tamen munditiis expers. Fuerunt étiam regibus vestes magnifice adornatæ; neque elegantia caruit mundus muliebris, sed et vestes exquisite pictas, et sua monilia et armillas habuit, neque domestica supellex aut vasis quæ vitæ commodis inserviunt, aut suis ornamentis caruit. In contrariam partem disputari solent tur-

[k] *Il.* K. 243.
[l] Vid. *Od.* Ξ. 433.
[m] *Od.* I. sub init.
[n] *Od.* Θ.
[o] Lib. i. Vid. eundem, lib. v. sub init—et alibi quidem de Symposiis Homericis multa habet, atque illa cum recentioris Græciæ Symposiis confert.

pia illa et inhonesta munera quæ summi viri obire non dedignabantur, ut ipsi scilicet victimam mactent, ipsi epulas instruant, et cætera peragant quæ infimæ plebis sunt, ut denique ipsa illa "Hectoris Andromache" equis pabulum apponat[p].

Hæc igitur sufficiant quæ populi indolem et vitæ habitum designent; cætera pro se quisque neque injucundo neque infructuoso labore eruet, ex hisce autem simul sumptis jam illud satis tuto colligere videor, neque privatæ vitæ officia iis temporibus ignota fuisse, neque affectus qui ex illis oriuntur incultos; tum autem ea quæ vitæ necessitatibus inserviunt penitus hausisse Græcos, quæ commodis minus accurate, quæ vero luxuriæ et elegantiæ sunt parce aut vix omnino attigisse, ex omni vero parte ad cultiorem vitam festinanter progredientes agnoscas. Illud etiam animadvertendum est recentiorum Græcorum mores partim eosdem esse, partim ex iisdem principiis emanasse. In ipsa illa Athenarum gloria Religionis ritus et sacrificia iisdem ceremoniis peraguntur, eodem fere apparatu, sed cultiore quidem, convivium instruitur, iisdem oblectamentis ornatur, neque jam tum publice hominum colloquio et consortio fruebantur mulieres. Quin et in illis ab Achille institutis certaminibus Olympicorum ludorum initia plane agnoscas. Neque antiquus funeris celebrandi mos ab illo qui postea invaluit multum abludit. Eo itaque iterum devenimus, hanc esse ætatem ex qua tam privatæ quam publicæ Græcorum historiæ recte initium sumas, seu more philosophico in moribus hominum eruendis et investigandis versari velis, seu quod

[p] Vid. *Herod.*, lib. viii. c. 137: in quo quidem loco insigne habes vitæ Heroicæ exemplum.

politicæ potius disciplinæ est, illud respicias, quibus gradibus accrevit, et quibus subsidiis adaucta est, ea quæ tanto cum splendore postea effulsit Græcorum gloria, quam interim si tanto cum stupore intueri solemus, nec vero ea ipsa de causa Homericorum temporum notitiam prorsus repudiemus.

Quin et illud ex hoc argumento facile sequitur, si recentiores Græci cæteris fere omnibus et doctrina et militari gloria antecesserunt, fuisse quædam etiam majoribus suis propria. Sint barbari, sint inculti; quod si tantis rebus initia dederint, erunt quæ illos præ cæteris extulerunt. Sed et hæc et illam etiam quæstionem, quænam ex hoc rerum statu Poetæ subsidia oblata erant alio nobis tempore discutienda relinquimus.

PRÆLECTIO QUINTA.

HACTENUS in exquirenda publica et privata Homericorum temporum vita studiose versati sumus, si forte illam strictim sed tamen accurate adumbrare possemus. Atque hæc quidem eum in finem, quo melius constaret, quemnam rerum statum exemplaris loco ante oculos habuit Poeta, et unde sibi tam lautam supellectilem comparavit. Exploratis igitur jam Heroicis moribus, proximum est eorum vim et usum quatenus rebus Poeticis inserviunt explicare. Eo tamen properanti transversa incurrit, et medio in cursu moram injicit altera quidem sed huic cognata materies. Sunt enim artes quædam quarum cum vita humana ea est societas, ut ab illa haud recte disjungi possint; quæ mores hominum si non fingunt sedulo tamen comitantur et una cum illis augentur et vigent: eas dico quæ vulgatioris sunt usus et vitæ commoda et necessitates spectant. Cæteræ quæ ingenuæ sunt suum sibi seorsim locum vindicant. In hisce igitur diverticulis paulum commorati, eo quo tendimus rectius revertemur.

Harum autem artium longe omnium prima est et maxima Agricultura: quæ quidem in isto rerum statu quem antiquiori Græciæ tribuit Thucydides vel nulla vel exigua fuerit necesse est. Agros serere et fruges colligere facile norunt homines;

neque illi quibus incerta sedes et inculti mores spem messis paucos intra menses absolvendæ omnino recusant. Sero autem suborta est, ea quæ assiduo labore et magnis impensis rem gerit rerum rusticarum cura, quæ non intra unius anni spatium substitit, neque unius messis spem; sed agrum cultura meliorem, et perpetuis reditibus votis coloni responsurum sperare audet: quæ cum artis nomen sibi vindicat, multiplici jam tempestatum, cœli et regionum scientia ornata est, et magna instrumentorum copia instructa. Itaque in illis temporibus locum habere non potest ubi temere ab alia in aliam sedem migratum est; non enim facile rure suo cedit agricola, neque verbum illud libenter audit[a]:—

"Veteres migrate Coloni."

Hinc antiquos Scythas et Numidas non in agris colendis exercitatos fuisse, sed ex boum potius et pecudum numero victum quæsivisse[b] accepimus, unde apud Græcos νομάδες appellati sunt; neque hodiernos Scythas, eos saltem quibus idem vitæ habitus permansit, alia exercet cura. Illis adeo cum armentis et gregibus suis, quas unicas opes habent, in promptu est vagari. Qui vero operam suam et sudorem in exercendis et domandis agris suis posuerunt, arctiore jam vinculo et impensiore cura natale solum complectuntur. Vix igitur hanc artem attingunt homines priusquam oppida condere et in sedibus suis conquiescere didicerunt; et in ipso cultioris vitæ progressu novis perpetuo subsidiis rem rusticam augent, sero tandem in illa peritiam assecuturi. Apud Græcos eandem cum

[a] *Virg. Ecl.*, ix. [b] *Herod.*, l. iv. c. 46.

religione et legibus originem habuisse dicitur. Cereri, Celeo, et Triptolemo sanctissimos religionis ritus, et frugum sationem tribuebant[c]. Eadem Δημήτηρ θεσμοφόρος et aratri inventrix[d]:—

> "Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
> Prima dedit fruges alimentaque mitia terris,
> Prima dedit leges."

Quin et Erectheo venerando apud Athenienses nomini in ambobus hisce rebus par honos dabatur[e]; neque alia de causa vocantur Athenienses[f]:—

Δῆμος Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος.

quam quod hunc authorem et in agris colendis et in moribus instituendis habuerunt. Nec vero omnium consensu et nulla invidia hanc laudem tulerunt Athenienses. Quod si cæteræ gentes eandem sibi adrogabant, non unum aut alterum sed universa Deæ dona in suos annales referebant[g]; in hac scilicet unica re consentientes eandem et humanitatis et agriculturæ originem fuisse. Ex hisce igitur Græcorum fabulis de singularum veritate parum sollicitus illud saltem colligo prima hujusce rei vestigia Homeri ætatem multis seculis antecessisse. Apud ipsum poetam passim reperiuntur exempla et imagines hinc desumptæ: quæ certe si accurate singula perpendamus, satis aperte testantur artem hancce in istis temporibus floruisse non exili supellectile donatam, neque parvo in honore habitam. Jam tum non in re unica sed in multis versabatur agricolæ labor. Eadem fere quæ apud recentiores sere-

[c] Vid. *Diod. Sic.*, l. i. c. 15; l. v. c. 5 et 68.

[d] *Ovid.*, *Metamorph.*, l. v. c. 341.

[e] Vid. *Diod. Sic.*, l. i. c. 29.

[f] *Il.* B. 547.

[g] Vid. *Pausan.*, l. i. c. 14; l. viii. c. 14 et 15.

bantur frugum genera, tritici[h], hordei[i], fabarum[k], ciceris[l], et avenarum[m] frequens apud Homerum mentio; quorum omnium a summa antiquitate et usu vulgatissimum et maximo in pretio fuit hordeum[n]. Hæc regio pratis et gramine celebrabatur, *ποιήεις*. Hæc ubere gleba insignis, *ἐριβῶλαξ*. Hæc aratro, hæc vitis culturæ convenire visa est, non enim temere sed curiose pro soli natura res gerebatur[o]: —

> Ἐν μὲν γὰρ λειμῶνες ἁλὸς πολιοῖο παρ' ὄχθας
> Ὑδρηλοὶ, μαλακοί· μάλα κ' ἄφθιτοι ἄμπελοι εἶεν·
> Ἐν δ' ἄροσις λείη· μάλα κεν βαθυλήϊον αἰεὶ
> Εἰς ὥρας ἀμῷεν, ἐπεὶ μάλα πῖαρ ὑπ' οὖδας.

Eadem etiam rustico quæ postea instrumentorum genera. Aratrum non tantum usu sed fabrica etiam sua celebrabatur, *πηκτὸν ἄροτρον*[p]. Fuerunt etiam Græcis plaustra non mediocriter fabricata. De iis curribus qui bellicis rebus aut regiæ pompæ inserviunt passim loquitur Poeta, et in eorum descriptionibus non infrequenter hæret; vel rei novitate, ut opinor, vel operis artificio captus. Vannus etiam jam tum in usu erat, quanquam, ut verum fatear, ille Homeri *ἀθηρηλοιγὸς* qui specie et forma sua remum tam prope attingebat, artificii fuit parum exquisiti. Sunt etiam alia quæ usum quendam et peritiam in hac re designant. Agros non simplici vice sed tertia plerumque renovabant, *νειῷ ἐνὶ τρι-*

[h] *Il.* K. 569, Θ. 188; *Od.* Υ. 109, &c.

[i] *Il.* E. 196, et passim.

[k] *Il.* N. 589.

[l] Ibid.

[m] *Il.* E. 196; Θ. 560.

[n] *Eustath. in Il.* Z. 496,—*τίμιον γὰρ τοῖς παλαιοῖς ἡ κριθὴ ὡς πρώτη εὑρεθεῖσα.*—Vid. etiam eundem in *Il.* A. 457.

[o] *Od.* I. 131. Vid. etiam *Od.* O. 405.

[p] *Il.* K. 353, N. 703; *Od.* N. 32.

πόλῳ[q], et ut mihi quidem videtur in hac re fere tota messis spes ponebatur; nec vero solum vertebant tantum, sed fimo etiam et stercore agros suos pingues faciebant[r]. Finita autem messe boum pedibus subjiciebantur frugum manipuli; sive illud inscitia factum est, seu quod bovis opem in rebus rusticis præ operariorum penuria fere solam ex omni parte sibi adsciscebant[s]; unde illud natum est quod veterum Græcorum vitam et operas agrestes non inscite depingit[t]:—

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκα τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Adeo simplicem sed tamen impensam harum rerum curam habebant. Area Homeri, ἐϋτροχάλος ἀλωὴ[u]. Virgilianam illam refert[v],—

"Area cum primis ingenti æquanda cylindro."

Mola mulierum manu versabatur[x]. Possim plura congerere. Nequaquam autem prætereundus est insignis Homeri locus in quo de frugibus metendis et colligendis plene et aperte loquitur tanquam re non tantum ordinate, sed pro istorum temporum ratione cum solennitate quadam peragenda, quo quidem loco cum unus sit instar omnium hoc argumentum claudi velim[y]:—

Ἐν δ' ἐτίθει τέμενος βαθυλήϊον· ἔνθα δ' ἔριθοι
Ἤμων ὀξείας δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες.
Δράγματα δ' ἄλλα μετ' ὄγμον ἐπήτριμα πίπτον ἔραζε,
Ἄλλα δ' ἀμαλλοδετῆρες ἐν ἐλλεδανοῖσι δέοντο·
Τρεῖς δ' ἄρ' ἀμαλλοδετῆρες ἐφέστασαν· αὐτὰρ ὄπισθεν

[q] *Od.* Ε. 127.

[r] *Od.* Ρ. 297. Vid. etiam *M. de Cic., de Senectute.*

[s] Ὁ γὰρ βοῦς ἀντ' οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν—*Aristot. Polit.*, l. i. c. 1.

[t] *Hesiod.* Ε. καὶ Η. 405.

[u] *Il.* Υ. 496. Vid. etiam *Hesiod*, Ε. καὶ Η. 599 et 806.

[v] *Georg.*, l. i. 178.

[x] *Od.* Υ. 106, Η. 104.

[y] *Il.* Σ. 550, &c.

Παῖδες δραγμεύοντες, ἐν ἀγκαλίδεσσι φέροντες
Ἀσπερχὲς παρέχον· βασιλεὺς δ' ἐν τοῖσι σιωπῇ
Σκῆπτρον ἔχων ἑστήκειν ἐπ' ὄγμου γηθόσυνος κῆρ.
Κήρυκες δ' ἀπάνευθεν ὑπὸ δρυῒ δαῖτα πένοντο,
Βοῦν δ' ἱερεύσαντες μέγαν ἄμφεπον· αἱ δὲ γυναῖκες
Δεῖπνον ἐρίθοισιν λεύκ' ἄλφιτα πολλὰ πάλυνον.

Sunt et alia ibidem quæ aratoris operam, et alia etiam quæ vindemiam spectant; quæ quidem omnia siquis intento et acri judicio perlegit, cum hujusce artis statum, tum etiam formam et imaginem non obscuram morum Heroicorum agnoscet. Agnoscet porro eam quam diximus hujusce rei cum religione et vita hominum societatem; neque forsan verebitur affirmare quod etiam ex historiæ fide facile comprobabit istarum artium quæ meræ sunt elegantiæ ex rusticis laboribus et iis quæ labores subsequuntur oblectamentis originem deducendam esse.

Hæc igitur ex ipso Homero facile eruenda sunt. Nec vero Hesiodi testimonium intactum relinquere fas est, quem Homero æqualem vel saltem ætate proximum fuisse ipse Herodotus[*] et cæteri fore veteres authores uno consensu denunciant. Ætatem ejus non attingo; quem tamen, cum Æolica migratione recentior sit[a], vix Homero æqualem esse censeam; inter antiquissimos certe scriptores numerandus est, cum proximo post Heroica tempora seculo ipse se adscribat[b]. Nec vero inquiro quanam ex parte recte illi adjudicantur ea quæ nunc sub Hesiodi nomine circumferuntur opera: neque quonam ex fonte tam molli dialectu utitur Ascræus homo neque unde natus est tam frequens ver-

[*] Lib. ii. c. 53. [a] *Hesiod.* Ἐργ. καὶ Ἡμ. 686.
[b] Ἐργ. καὶ Ἡμ. 174.

borum et sententiarum Homericarum usus; in his quidem omnibus vellem peritiores critici se exercerent; digna sunt certi quæ ad trutinam revocentur. Nobis cum illis tantum libris res est, qui de operibus rusticis conscribuntur: de quibus, quin ipsius Hesiodi sint, nulla est controversia. Totum opus ad rusticæ simplicitatis normam confictum est; neque aliam rem agit Poeta, quam ut suorum temporum in his rebus experientiam congerat, et paucis hinc inde interpositis fabulis, nonnullis etiam præceptis quæ vitæ domesticæ œconomiam et regimen spectant, lepore quodam sed incompto quidem perfundat. In hoc igitur opere totam Heroicorum temporum agriculturam uno intuitu contemplari licet; quæ quidem, quanquam artis nomen non invideo, angustis tamen limitibus contenta est. Tempestates et horas serendi, metendi, et aliorum operum sedulo notabant, et perite admodum per diversas anni partes diversa opera dispertiebantur: quin et rudem quandam Astronomiam in partes suas habebant. Aratro et plaustro multa cum arte fabricatis utebantur [c]:—

—ἑκατὸν δὲ τε δούραθ' ἀμάξης—

Ligone glebas frangebant [d], nondum enim rastrum in usu erat; cæteris minoris formæ instrumentis parce instructi erant [e]. Atque hæc quidem cum illis temporibus tum etiam iis quæ ex Homero colligenda sunt satis respondent. Ex utroque etiam poeta discas agricolæ artem et labores rusticos magno in honore et pretio fuisse; mendicari autem turpe et

[c] 'E. καὶ 'H. 456. [d] Ibid. 470. [e] Ibid. 483.

ignobile. Contumelias ingerunt Ulyssi Melanthius et Eurymachus[f]:—

—ἔργα κάκ' ἔμμαθεν, οὐκ ἐθελήσει
Ἔργον ἐποίχεσθαι, ἀλλὰ πτώσσων κατὰ δῆμον
Βούλεται αἰτίζων βόσκειν ἣν γαστέρ' ἄναλτον.

Pastoris officium regis filio non indignum habebatur[g], neque parvum erat in Ithaca subulci nomen.

Ex hujusce igitur artis statu, quæ humanitatem certo et fideli gressu subsequitur, eodem quo prius redeo, singulos jam regiones suas Græcos occupasse, et vitæ cultiori studium et operam acriter dedisse.

De vitis cultura eadem fere quæ de frugum inventione narrantur fabulæ; multarum etenim rerum quæ vitæ cultum spectant Libero patri gloria tribuitur; frequens etiam vinearum apud Homerum mentio. Hinc Arne πολυστάφυλος[h]. Hinc Epidaurus ἀμπελόεις[i]; neque parvum erat aut ignobile hujus rei studium. Hæc senis Laertæ cura; hæc Alcinoi gloria. Sepibus etiam vineas cingebant, et singula summa arte et ordine disponebant; unde vinea ipsa vocatur ἐϋκτίμενη. Neque minus frequens aut minus intellecta erat oleæ cultura[j]; oleo etenim ungebantur qui in certaminibus gymnicis contendebant, et ii etiam qui laboribus fessi domum redierunt. Oleo etiam vestibus nitorem adsciscebant[k]: quin et illum Homeri λύχνον lucernam vel lampada oleo unctam fidenter interpreteris[l]: Δαΐδες, si vocis etymologiam spectes, aliam ori-

[f] *Od.* P. 226, et Σ. 361.

[g] *Od.* N. 222.

[h] *Il.* B. 507. Histiææ idem Epitheton adscribitur.

[i] *Il.* B. 561.

[j] *Od.* H. 106; Λ. 589.

[k] *Il.* Σ. 596.

[l] *Od.* T. 34. Proclus in Scholiis in *Hesiod.*, 'E. καὶ 'H. 421, ait Pamphonem quendam Lampadis inventorem fuisse.

ginem fateri videntur, et possunt esse simplices illæ summæ antiquitatis ex fisso ligno faces. Nec vero olea tantum et vite sed variis arboribus instructus est ille Alcinoi irriguus hortus, variis etiam herbarum et olerum generibus [m]. Neque ut videtur frugiferas tantum arbores sed eas etiam quæ sylvestres sunt colebant [n], neque aliter pingue et fertile solum laudat poeta, quam quod arboribus conserendis idoneum sit, *καλὸν φυταλιῆς* [o]. Jam vero illud melioris vitæ indicium lubens amplector. Quis enim dubitet migrandi jam finem fecisse Græcos cum arboribus conserendis operam dabant, quæ scilicet "alteri seculo profuturæ sint?" Hoc vero est in agris consedisse, non tantum ipsi quos colerent, sed etiam quos posteris traderent.

Quod artes spectat quæ humiliores sunt et Mechanicæ vocantur, paucis certe contenti fuerunt Græci, nec vero harum omnino expertes. In lanificio sese exercebant mulieres, et totam fere vitam in hac arte posuerunt. Erat etiam fœmineæ laudis, siquæ vestibus sua manu concinnatis virum suum præ cæteris ornaret [p]. Eandem etiam artem victus gratia exercebant, non enim ignota erat illis temporibus, *γυνὴ χερνῆτις ἀληθὴς* [q]. Cætera etiam artificia quæstus gratia excolebant. Hinc Homerus [r] :—

— εἰ μὴ τῶν οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν,
Μάντιν, ἢ ἰητῆρα κακῶν, ἢ τέκτονα δούρων,
Ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδὸν, ὅ κεν τέρπησιν ἀείδων.

Et ipsum illud commune horum artificum nomen

[m] *Od.* H. 112, &c.
[n] *Od.* I. 186.
[o] *Il.* Z. 195; M. 314; Y. 185.
[p] *Od.* T. 225, &c., 255.
[q] *Il.* M. 433.
[r] *Od.* P. 383.

non tam sordidum quiddam spectat, quam quod publicæ utilitatis habebatur,—

Οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.

Inter tot heroas non indignum fuit Tychii opificis nomen quod posteris traderetur[s]. Neque ars fabrilis, eodem certe nomine quo cætera quæ præstantioris usus aut prudentiæ habita sunt, Deo authore caruit[t]. Non ex mediocri officina sunt illa Ajacis et Nestoris scuta[u]; non ex mediocri tam magnifice armis instructus est Agamemnon[v]. Nec vero quanquam rei bellicæ apparatum potissimum spectant hæc artificia, illis etiam caruerunt, quæ elegantiæ sunt, nec nisi ornatus splendorem aucupantur. Aureis et eburneis ornamentis et domus et vestes obtegebantur. Quin et exquisitius quiddam tentare ausi sunt, et argenteis vasis aurum obducebant[x]:—

Ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
Ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
Τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει.

Ebur etiam quo splendidius fieret variis coloribus imbuebant[y]:—

Ὡς δ' ὅτε τις τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ,
Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήïον ἔμμεναι ἵππων·
Κεῖται δ' ἐν θαλάμῳ, πολέες τέ μιν ἠρήσαντο
Ἱππῆες φορέειν· βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα,
Ἀμφότερον, κόσμος θ' ἵππῳ, ἐλατῆρί τε κῦδος.

Latent tamen in Homeri scriptis, quæ diligenti lectori facile se produnt, non pauca artium parum excultarum vestigia; neque enim Vulcani tripodas[z] et ancillas vita et motu a divino opifice donatas,

[s] *Il.* H. 220.
[t] *Il.* H. 206.
[u] *Il.* Θ. 192.
[v] *Il.* Λ. 17.
[x] *Od.* Ξ. 232, et iterum 23—159.
[y] *Il.* Δ. 141.
[z] *Il.* Σ. 373, et 417.

neque Alcinoi aureos canes[a] aliter interpretari velim, quam quod fabulæ sunt istius ætatis, quæ nondum satis hisce rebus adsueverit. Neque aliud sibi volunt illæ quæ apud Historicos memorantur Dædali imagines spirantes[b]. Apud homines incultos siquid exquisitæ artis sit prodigio habetur; unde factum est ut omnium fere artium origo ex mediis fabulis eruenda sit. Easdem contra quo magis fabulis obteguntur, eo origini suæ propiores esse judico.

Eadem quæ in cæteris artibus simplex et inornata ratio, in illa etiam cernitur quæ in ædificiis et domibus extruendis versatur. Quod rei usum attinet, satis perite singula ordinabant. Domus ipsa thalamis abunde instructa erat[c]. Aulam etiam suam subdialem muro cinctam habuit, neque deerat ædificio soliditas, exstructo scilicet[d] *ῥυτοῖσιν λάεσσι κατωρυχέεσσ'*. Architectonici interim ornatus nihil quicquam; nisi forte porticus istas ab Homero celebratas hoc titulo cohonestari velis. Nondum certe in usu erat ea quæ ex totius facie, et apta partium inter se dispositione suboritur elegantia. Nondum Dorica aut Ionica arte fabricatæ columnæ; ne vocabulum quidem apud Poetam invenias; qui si forte de ædificii splendore verba facit; aurea aut ænea laquearia et parietes auro ornatos memorat; aut laquearis ipsius altitudinem, *ὑψερεφὲς μέγα δῶμα*[e]. Hæc Telemachus attonitus suspiciebat[f]:—

> *Φράζεο, Νεστορίδη, τῷ 'μῷ κεχαρισμένε θυμῷ,*
> *Χαλκοῦ τε στεροπὴν κατὰ δώματα ἠχήεντα*
> *Χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος.*

[a] *Od.* H. 91.
[b] *Diod. Sicul.*, l. iv. c. 76; *Aristot. Polit*, l. i. c. 4; *Plat. Men.*
[c] *Il.* Z. 242.
[d] *Od.* Z. 67.
[e] *Od.* H. 225.
[f] *Od.* Δ. 71.

Quid autem de ædificiis eorum temporum existimandum est, in quibus magnum fuit, et regiæ superbiæ ex cæso lapide domum exstructam habere[g]? De templis suorum temporum nunquam nisi obiter locutus est Homerus, quæ scilicet nondum splendide extrui et ornari cœperunt. Pauca quædam Heroicorum temporum monumenta a recentioribus Græcis celebrantur, præ cæteris autem Tirynthis mœnia[h] Cyclopum labore exstructa, et regis Minyæ apud Orchomenios Thesaurus[i], quæ tamen, ut ex Strabonis et Pausaniæ verbis conjectari licet, magnitudine operis et mole sua potius quam splendore et pulchritudine conspicienda erant, Ægypti Pyramidas, Babylonis mœnia, et cætera Orientis portenta potius referebant quam recentioris Græciæ ædificia ad artis normam eleganter concinnata.

Instrumenta fabrilia ab ipso Poeta pleraque recensentur[k]; quorum tamen inventio vel potius in Græciam transvectio quatenus ab ipsorum Græcorum fabulis aliquid colligere licet haud multis seculis ipsius ævum antecessit. Dædalo et nepoti ejus fere totam fabricam materiariam se debere fatebantur[l]. Adeo illæ quæ cæteris præire solent artes fabriles in istis temporibus recentis notitiæ fuerunt.

Ex hac autem parte facile jam in illam Quæstionem delabimur, quæ Metallorum usum et inventionem spectat, difficilem illam quidem, sed dignam quæ accuratius perpendatur; misere enim laborat vita humana hac ope et his subsidiis expers. Metallorum genera et nomina fere universa apud Home-

[g] *Il.* Z. 241, 242.

[h] *Strab.*, l. ix.; *Pausan.*, l. ii. c. 25, l. ix. c. 36.

[i] *Pausan.*, l. ix. c. 36 et 38.

[k] *Od.* E. 234, &c.

[l] *Diod. Sicul.*, l. iv. c. 76; *Plin.*, l. vii. c. 56.

rum decies repetita habes. Eorum autem notitiam ab Oriente in Græciam transvectam esse accepimus. Auri et argenti usus Cadmo tribuitur[m]; ferri, Idæis Dactylis. Magnas etiam opes ex metallis Tantalus comparasse dicitur[n], cujus filius in Peloponneso consedit. Neque historiæ fidem incuso: illud tamen constat, non nisi mediocrem in hisce rebus progressum ante Trojani belli tempora fecisse Græcos, nondum ex auro et argento signatum nummum conflabant; sed ornatus gratia varie ambobus utebantur. Pocula ex auro facta habebant[o]. Arma etiam et ipsos ædificiorum parietes auro et argento decorabant, neque ullam harum rerum inopiam et paucitatem ex Homero suspicari possis. Ad ea transeo quæ in communiore usu posita sunt; ex hac etenim parte antiqui Græci cum nulla alia gente consenserunt, pauca enim apud alios Æris instrumenta, neque libenter iis utuntur ubi acie et telis acuminatis opus est. Græcis contra ipsa arma exære fabricabantur, ipse denique ensis et hasta; et incredibilis prorsus ex omni parte hujus metalli usus, adeo ut si vera sunt quæ omnium authorum consensu de hac re traduntur, certe arte quadam nobis inexplorata duritiem et robur æneis suis instrumentis inurebant. Nec vero ferri usus ignotus erat; nolim arbitrari ænea instrumenta ferreis prætulisse in utraque re æque peritos, potius crederem nondum satis in subigendo et fingendo hoc metallo exercitatos fuisse. Inter thesauros quos vocat κειμήλια ferrum plerumque locum habet, et appellatur πολύκμητος σίδηρος, quo quidem epitheto significari velim, hoc

[m] *Strab.*, l. xiv. p. 680; *Plin.* vii. c. 56.

[n] *Strab.*, l. xiv. p. 680.

[o] *Od.* O. 85, &c.

metallum præ cæteris fabricatu difficile fuisse. Ex eo qui tum obtinuit ferri usu idem colligo. Ex hoc secures confectas habes[p], ex hoc sagittæ cuspidem[q]; intelligebant nimirum nihil tam firma et certa acie ferire, sed præ fabricandi labore parce utebantur. Insignis de hac re locus est in Iliadis, lib. 23tio. Certaminis præmium est, *σόλος αὐτοχόωνος*, ferri massa, de qua Achilles[r]:—

> Ὄρνυσθ' οἳ καὶ τούτου ἀέθλου πειρήσεσθε,
> Εἴ οἱ καὶ μάλα πολλὸν ἀπόπροθι πίονες ἀγροὶ
> Ἕξει μιν καὶ πέντε περιπλομένους ἐνιαυτοὺς
> Χρέωμενος· οὐ μὲν γάρ οἱ ἀτεμβόμενός γε σιδήρου
> Ποιμὴν οὐδ' ἀροτὴρ εἶσ' ἐς πόλιν, ἀλλὰ παρέξει.

Loquitur tanquam de re in communi usu posita et magno in pretio, cujus tamen una massa per quinque annos agricolæ sufficeret. Ubi scilicet Æri suo satis roboris inurere non potuerunt, huc confugiebant. Porro metaphoris ex hoc metallo petitis passim utitur Homerus, *κραδίη γε σιδήρεη*[s]—*σιδήρειόν νύ τοι ἦτορ*[t], et metaphoricè hoc vocabulum pro quovis instrumento et telo usurpat[u]:—

> — αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Ferrum etiam inter cæteras merces in exteras regiones commercii gratia circumferebatur[x]; quin et illud expolire didicerant, non enim aliunde ei adscribuntur Epitheta, *πολιὸς ἰόεις*. Ex hoc igitur præstantissimi metalli parco usu illud colligo, nondum in cudendis metallis satis exercitatos fuisse Græcos. Ipsius Homeri temporibus peritiores fuisse

[p] *Il.* Ψ. 850, Φ. 8; *Hesiod.* Ἔ. καὶ Η. 420.
[q] *Il.* Δ. 123.
[r] *Il.* Ψ. 831.
[s] *Od.* Δ. 293.
[t] *Il.* Ω. 205.
[u] *Od.* Π. 294.
[x] *Od.* Α. 184.

arbitror. Suis enim potius quam Trojanis temporibus locum illum adjudico, in quo pulchre et accurate de methodo qua ferrum induratur verba facit[y]:—

Ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν ἠὲ σκέπαρνον
Εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτει μεγάλα ἰάχοντα,
Φαρμάσσων· τὸ γὰρ αὖτε σιδήρου γε κράτος ἐστίν.

Hesiodi testimonium etiam in hac re in eundem finem consentit[z]:—

Τοῖς ἦν χάλκεα μεν τεύχεα, χάλκεοι δὲ καὶ οἶκοι,
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος·

quæ certe si fabulis exuta sint recentiorem esse ferri usum et in prioribus seculis vix intellectum denunciant[a]. Quin et Historici huic rei fidem adstruunt. Bellum inter Spartanos et Tegeatas refert Herodotus[b], et insigne Oraculi responsum de loco in quo Orestis ossa condebantur, quod quidem Oraculum fabri ferrarii officinam obscure designavit. Dubitantibus Spartanis tandem totam rem exponit Lichas, fortuna quadam in officinam delatus; mirabatur vero hospes Spartanus tanquam novam rem fabros ferrum procudentes:—ἐθηεῖτο σίδηρον ἐξελαυνόμενον, καὶ ἐν θωῦματι ἦν, ὁρέων τὸ ποιεύμενον[c]. Quæ de eodem Oraculo Pausanias, argumento nostro etiam magis conveniant: πῆμα δὲ εἰκότως ἀνθρώπῳ τὸν σίδηρον, ὅτι ἐχρῶντο ἐς τὰς μάχας ἤδη τῷ σιδήρῳ· τὰ δὲ ἐπὶ τῶν Ἡρώων καλουμένων ἀνεῖπεν (lego ἂν εἶπεν) ὁ θέος ἀνθρώπῳ πῆμα εἶναι τὸν χαλκόν[d]. Ab iisdem au-

[y] *Od.* I. 391.
[z] *Hesiod*, Ἔ. καὶ Ἡ. 150.
[a] Vid. etiam *Lucretium*, l. v. 1285—1295.
[b] Lib. i.
[c] Lib. i. c. 69.
[d] Lib. v. c. 8.

thoribus celebratur Halyattis apud Delphos donarium. Erat autem Crateris receptaculum ex ferro conjectum et nova quadam arte conglutinatum operis artificio tam conspiciendum ut superaret tot superba auri et argenti donaria[e]. Ex[f] hisce etiam temporibus desumptus est mos, quo fabri ferrarii officinam *χαλκεῖον* vocabant et ipsum fabrum *χαλκέα*: *χαλκέας ὀνομάζουσιν*, ait Aristoteles, *τοὺς τὸν σίδηρον ἐργαζομένους*[g].

Hæc igitur leviora esse fortasse judicent nonnulli; nec vero prætermittenda esse censui, cum ex his levioribus quanquam rebus et artium utilissimarum origo et populi indoles dignosci posset. Ex hoc fonte profluunt ea omnia quæ vitæ tam tuendæ quam excolendæ inserviunt. Hæc prima hominum studia, ubi ex incultis et efferis moribus meliorem vitæ habitum affectare audent, neque hos Agricolæ labores asperneris[h]:—

"Si te digna manet divini gloria ruris."

Claudant igitur hæc argumenta epilogi loco illam de vita et moribus Heroicorum temporum quæstionem, quæ certe cum illis quæ supra dicta sunt consentiunt, et ea etiam corroborant. Nondum adeo (quod nunc audentius affirmare possim) Homericæ ætatis Græci cursum suum absolverant, sed festinanter ex barbarie sese explicabant, et novos indies nisus tentabant.

[e] *Herod.*, l. i. c. 25; *Pausan.*, l. x. c. 16.

[f] Illud etiam *Pausaniæ de Theodoro Samio* huc facit, l. iii. c. 12; ὃς πρῶτος διαχέαι σίδηρον εὗρε, καὶ ἀγάλματα ἀπ' αὐτοῦ πλάσαι.

[g] *Aristot. Poet.* c 45.

[h] *Virg. Georg.*, l. i.

PRÆLECTIO SEXTA.

IN explorandis Heroicorum temporum moribus, in eum rerum statum incidimus, qui populo rudi adhuc, et vitam cultiorem vixdum ingresso conveniat. Interea vero facilis est disputatio nihil in his rebus novum neque inauditum inveniri, sed ea tantum quæ vitæ humanæ cursum et progressum comitari solent; frustra igitur in tantum efferri ea quæ ex suis temporibus Homero oblata erant subsidia, quæ scilicet neque illis propria erant, neque rei Poeticæ tantopere inserviunt; quam quidem disputationem tam non refugio, ut in illam etiam ultro me proripiam, et illam heroicorum temporum cum aliis collationem ultro instituam. Nec vero omnium gentium historiam evolvere in animo est, sed in iis solis immorari, quæ veterum Graiorum indolem proxime attingunt; atque ex hac quæstione facile erit in eum quem volumus finem delabi; facile enim constabit, ex qua parte in eadem cum aliis materia versatus est Poeta, et ex qua invicem proprium sibi carminis argumentum habuit.

Hanc autem rem quo altius repetamus, ad antiquissima tempora respiciendum est, ad illam dico veterum Patriarcharum vitam quam in primo sacræ Scripturæ libro luculenter adumbratam habemus. Non enim nefas erit, cum hæc Dei Optimi Maximi

oracula evolvimus, ex iisdem et religionis et ethicæ insuper disciplinæ initium capere; neque si Prophetæ nomine Mosen veneramur, ea etiam abneganda laus est, quod in moribus explicandis historicorum nulli secundus est. Quod nostri est instituti, magnum erit, si forte heroicæ vitæ habitus a primæva simplicitate non multum abludere videatur.

Jam vero in re politica et in legibus condendis parum certe profecerunt ante Jacobi tempora Hebrææ gentis authores, quanquam in ipsis Abrahami et cæterorum familiis habes imperii exemplum, quod non tam vi stetit, quam opinione et reverentia suorum[a]; neque mercaturæ studebant; neque in militari disciplina exercitati fuerunt; quanquam ex hac etiam parte subito fere impetu ad arma concursum est, longe lateque vastabantur hostiles agri, et uno fere prælio decernebatur[b]. Sed ut hæc transeam, eadem erat Patriarchis migrandi licentia, quæ antiquis Græcis qui Trojani belli ætatem haud ita multo antecesserunt[c]; nihil opus est, aiebant, mutuo inter nos discidio, satis ambobus agri in quo consideamus camporum spatia præstant. Neque vero ex aliis rebus Abrahami opes[d] constabant, quam ex quibus illæ Agamemnonis aut Ulyssis[e]:—

Δώδεκ' ἐν ἠπείρῳ ἀγέλαι, τόσα πώεα οἰῶν,
Τόσσα συῶν συβόσια, τόσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν
Βόσκουσι ξεῖνοί τε καὶ αὐτοῦ βώτορες ἄνδρες.
Ενθα δέ τ' αἰπόλια πλᾶτέ' αἰγῶν ἕνδεκα πάντα
'Εσχατιῇ βόσκοντ', ἐπὶ δ' ἀνέρες ἐσθλοὶ ὄρονται.

[a] Vid. *Prælectionem Tertiam.*

[b] *Gen.* xiv.

[c] Ibid. xiii. 8, xxxi., xxxii. Abrahami ad fratrem verba sunt.

[d] Ibid. xiii. 2, 5; xxiv. 35.

[e] *Od.* Ξ. 100.

Quin et illa quæ heroicis temporibus præ cæteris adjudicantur hospitii jura[f] jam tum in honore erant, nec dissimili ritu peragebantur singula. Comiter certe et benigne hospitem suum excipit Rebekah, et in patris domum deducit[g], tanquam illa Homeri Nausicaa. Mensa hospitalis statim instruitur, neque ante peractas dapes de genere et fortunis ejus sermo factus est[h]. Abeuntem etiam pompa et concentu musico prosequebantur[i]. Agriculturæ interea aliqua ex parte operam dabant utrique. Venandi studio apud utrosque sese oblectabant qui ferocioris erant indolis; magis delicati interim et molles, tanquam ille Homericus Alexander placidam pastoris vitam agebant: "Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi et homo campi: Jacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis[k]." Nec domesticæ consuetudines repugnant. Eadem est Saræ in domo Abrahami conditio et dignitas, quæ in Heroicis temporibus ei quæ appellatur *κουριδίη ἄλοχος*[l]. Ad filios autem pertinebant matris jura[m]. Hinc præ fratre ejus humilis et abjectus Ishmael[n]. Jam tum etiam dedecori erat nuptiis caruisse[o], vel inter nuptias sterilitatem pati: "Hagar concepisse se videns despexit dominam suam[p]." "Cernens autem Rachel quod infœcunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo, Da mihi liberos, alioquin moriar[q]." De eadem mox: "Concepit et peperit filium, dicens, Abstulit Deus opprobrium meum[r]." Idem

f *Gen.* xviii.
g Ibid. xxiv.
h Ibid. xxiv. 35.
i Ibid. xviii. 16; xxxi. 27.
k Ibid. xxv. 27. Vers. Vulg.
l Vid. *Prælectionem Quartam*.
m *Gen.* xxxiii. 6.
n Ibid. xxi. 30.
o Ibid. xxix. 26.
p Ibid. xvi. 4, ex Vers. Vulg.
q Ibid. xxx. 1, ex Vers. Vulg.
r Ibid. xxx. 23, ex Vers. Vulg.

apud Homerum Phœnicis opprobrium[s]. Hinc autem subortæ sunt illæ apud utrosque querelæ, si forte defuerint filii, qui bona paterna exciperent. Noli timere Abram, inquit, "Dominus, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Dixitque Abram, Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis; et procurator domus meæ iste Damascus Eliezer. Addiditque Abram, Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus hæres meus erit[t]." Sunt et alia quædam. Ipse Abrahamus et uxor ejus epulas instruunt, neque ea recusant munera quæ apud recentiores infimæ sunt plebis[u]. Ille etiam totius domus planctus et ejulatio huc referri potest[v]:—

Ὣς ἔφατο κλαίουσ', ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες[x].

ex qua consuetudine profluxit ille Tragœdiæ Græcæ *Κόμμος*[y]. Adeo omnem utrorumque vitam effinxit ea morum gravitas et constantia quæ ex natura incorrupta deprompta est.

Recentiores Arabiæ incolæ veterum Patriarcharum severitatem æmulati sunt, neque temere ab eorum vestigiis ausi sunt deflectere; adeo ut ex hac parte eandem quæstionem ulterius prosequi liceret, neque ex alia fortasse origine exorta est et sensim adolevit ista animi audacia quæ tot regiones occupavit, et totum fere terrarum orbem victrix peragravit. Ea autem quæcunque fuit, jampridem consopita est. Hodiernos interea Arabas suis finibus et suis bonis contentos partim inertia habet et

[s] *Il.* I. 455—489:—
Τὰ φρονέων, ὅ μοι οὔτι θεοὶ γόνον ἐξετέλειον
Ἐξ ἐμεῦ—

[t] *Gen.* xv. 1—3, ex Vers. Vulg.; Conf. *Il.* E. 158.

[u] *Gen.* xviii.

[v] Ibid. xlv. 2.

[x] *Il.* Ω. 746.

[y] Vid. *Arist. Poet.*, c. 12.

languor, partim campestri et incultæ vitæ assueti nihil ultra eam sperare audent.

Cæteras Orientis gentes nihil moror; cæteræ in universum omnes sub unius dominatu miseram et abjectam vitam trahunt. In his regionibus post diluvium reliquiæ humani generis consederunt. Ipsi igitur et eorum posteri qui in iisdem finibus permanserunt, aut extra eos parce evagati sunt, ad terram colendam[1] et eas artes quibus vita sustentatur statim se contulerunt. Suborta est, ut fert natura, regii imperii forma, quæ certe jam ab antiquissimis temporibus eo usque accrevit, ut majestate et apparatu suo hominum animos perstringeret. Mox ipso vitæ civilis statu, ipsa etiam soli et regionis natura adjuvante, ita inveteravit, ut easdem quas in cæteris regionibus vicissitudines non passa sit. Siquid inter cives concertatum fuerit, non illud agebatur, ut jura et libertatem sibi vindicarent, sed utrum huic aut illi domino potissimum adscriberentur: *τὸ δὲ ἀνδρεῖον, καὶ τὸ ταλαιπωρὸν, καὶ τὸ ἔμπονον, καὶ τὸ θυμοειδὲς, οὐκ ἂν δύναιτο ἐν τοιαύτῃ φύσει ἐγγίγνεσθαι*[2]. Cum illis qui longius extra fines suos evagati sunt, qui extremas Asiæ partes insederunt, vel ipsam denique Europam, Caspium aut Euxinum mare prætervecti (terra enim ut credibile est iter faciebant) alia omnino res est. Longius enim provecti et regionibus inter se dissitis divisi, ad unius regis aut ducis imperium revocari non potuerunt, neque ex ejus nutu gubernari. Ex ipsa igitur illa longinqua profectione, et multitudine civium magis magisque indies crescente in alias atque alias civitates distributi sunt, quibus

[1] *Gen.* ix. 20. [2] *Hippocrates de Aëribus, Aquis, Locis*, c. 33.

sui seorsim duces erant et magistratus. Addas licet fluminum, montium, et sylvarum impedimenta, quæ omnia ingenti labore erant exsuperanda. Addas soli horridi et asperi culturam; ex quibus omnibus cum corpori vires accrescere, tum etiam animo spiritus et audacia: *ἐν μὲν γὰρ τῷ αἰεὶ παραπλησίως αἱ ῥαθυμίαι ἔνεισιν, ἐν δὲ τῷ μεταβαλλομένῳ αἱ ταλαιπωρίαι τῳ τε σώματι καὶ τῇ ψυχῇ, καὶ ἀπὸ μὲν ἡσυχίης καὶ ῥαθυμίης ἡ δειλίη αὔξεται· ἀπὸ δὲ τῆς ταλαιπωρίης, καὶ τῶν πόνων αἱ ἀνδρεῖαι*[b] . . . . . *αἱ γὰρ μετάβολαι εἰσὶ τῶν πάντων, αἵ τε ἐγείρουσι τὴν γνώμην τοῦ ἀνθρώπου, καὶ οὐκ ἐῶσιν ἀτρεμίζειν*[c]. Magna scilicet moliri discunt quibus perpetua exercitatione animi vires suscitantur et augentur. Hinc illa libertatis et rerum gerendarum cupido, quæ Asiæ partes boreales, et omnem fere Europam permanavit, specie tantum et forma diversa, pro regionum et temporum opportunitate, et pro vario captu hominum. Sed de singulis separatim.

Apud Scythiæ et Sarmatiæ Asiaticæ incolas permansit a summa antiquitate usque ad hæc nostra tempora regii imperii forma, neque illa sua pompa et satellitio caret; nec vero prorsus hereditario jure ad filios pertinet; quemadmodum suis edixit magnus ille Scythici imperii auctor, nemini parendum esse, nisi quem suffragiis suis in regnum cooptaverint[d]; quanquam ad regiam fere familiam transit, neque nullo labore teneri et defendi potest, neque

[b] *Hippocrates de Aëribus, Aquis, Locis*, c. 54.

[c] Ibid., c. 39.

[d] *Bergeron, Traitè des Tartares*, c. 7; *Hist. de Genghizcan*, l. i. c. 6. loy 3.

ad quenquam nisi ætate jam matura defertur sceptrum [e]:—

Ἡμεῖς δ' οὔ νύ τι τοῖοι ἀμυνέμεν [f].

Ægre enim patiuntur Scythæ Asiatici imbelle et languidum imperium. Quin et suos proceres habent consiliorum regis participes [g], qui etiam virtute sua et nobilitate adeo superbiunt, ut propria authoritate nonnunquam bella gerant, et privatas inimicitias ferro decernant [g]. Neque erat nulla apud plebem licentia. Leguntur certe apud suæ gentis historicos exempla quædam quæ Thersiti ipsi conveniant [h]. Judicis vice etiam in rebus minoris momenti fungitur princeps, severus fere criminum æstimator [i]. Nec vero robur corporis et animi audacia unice in honore sunt; sed laudantur principes eorum ex eo quod ingenio, consilio et dicendi facultate præ cæteris spectabiles fuerunt [j]. Disciplinam militarem et imperatorias virtutes laudant nonnulli [k]; sed ut videtur confertæ phalangis vim et usum parum noverunt. Eminus et equestri prælio pugnatum est [l]. Ipsa etiam bella subito et sæpius renovato impetu gerebantur [m]. Insidiarum ut apud Græcos frequens usus [n]; illud etiam Homericorum est temporum quod

[e] *Abu'l Ghâzi Khân*, Vers. Anglic., p. 56. Vid. etiam, vol. ii., quod appendicis loco adjicitur, p. 393 *Hist. de Genghiz-can*, par M. Petis de la Croix, p. 512.

[f] *Od.* B. 60.

[g] *Abu'l Ghâzi*, p. 230, vol. ii. 398; *Hist. de Timur-Bec*, par M. Petis de la Croix, liv. ii. c. 3.

[h] *Histoire de Timur-Bec*, l. i. *Abu'l Ghâzi*, pp. 229—251.

[i] Ibid., p. 283; *Voyage de Guillaume De Rubruquis*, c. 10.

[j] *Abu'l Ghâzi*, pp. 274, 165; *Hist. de Genghiz-can*, par M. Petis de la Croix, l. iv. c. 11 and 14.

[k] *Abu'l Ghazi*, p. 146; *Voyage de Jean Du Plan Carpin*, art. 6; *Hist. de Ghenghiz-can*, par M. Petis de la Croix, liv. i. c. 4, 5.

[l] *Bergeron, Traitè des Tartares*, c. 7.

[m] *Histoire de Timur-Bec.*

[n] *Bergeron, Traitè des Tartares; Voyage de Carpin.*

ex propria principis alicujus virtute totam rem pendere arbitrantur[o]. Quod vivendi rationem attinet, plerisque eorum nulla certa sedes est; in plaustris vitam agunt. Opes ex pecudum et armentorum numero æstimantur[p], quorum omnium decima pars reditus loco regi persolvitur[q]. Hinc etiam stipendia militibus[r]. Venandi studium non tantum exercitationis et oblectamenti gratia sectantur, sed victum ex eo quærunt[s]. In privata vita magna est epularum festivitas et frequentia[t], principes etiam viri majore dapum parte excipiuntur. Inter uxores una præcipuam dignitatem obtinet[u]. Maritus parentibus fœminæ suæ dotem offert[x], ἄσπετα δῶρα δίδωσι[y]. Pudore etiam et verecundia celebrantur fœminæ Scythicæ. Idem insuper sterilitati opprobrium est, et idem qui apud Græcos metus ne ex aliena quisquam familia bona alicujus exciperet[z]:—

— χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέοντο[a].

pari etiam luctu et funeris ambitione mortuis parentant[b]. Habes igitur non pauca magni animi[c] et

[o] *Histoire de Timur-Bec.*
[p] *Abu'l Ghâzi*, pp. 237—245.
[q] Ibid., p. 65; vol. ii. p. 295.
[r] Ibid., p. 280.
[s] Ibid., vol. ii. p. 401; *Hist. de Genghiz-can*, l. i. c. 6, loix 9, 10; l. iii. c. 7; l. iv. c. 12.
[t] *Histoire de Timur-Bec.*
[u] *Abu'l Ghâzi*, vol. ii. p. 406; *Carpin*, art. 4; *Voiages de Marc Paul*, l. i. c. 55.
[x] *Voiages de Marc Paul*, l. i. c. 55; *Guillaume de Rubruquis*, c. 9; *Carpin*, art. 4; *Hist de Genghiz-can*, l. i. c. 6, loy 17; l. iv. c. 12.
[y] *Od.* Υ. 342.
[z] *Abu'l Ghâzi*, p. 154.
[a] *Il.* Ε. 158.
[b] *Guillaume de Rubruquis*, c. 10; *Abu'l Ghâzi*, vol. ii. p. 408. Eadem ferè erat quæ apud Græcos jurisjurandi formula. *Hist. de Genghiz-can*, par M. Petis de la Croix, l. i. c. 2; *Il.* Γ., Τ. Rex etiam sacerdotis officio fungebatur. *Hist. de Timur-Bec*, l. vi. c. 30; *Hist. de Genghiz-can*, l. i. c. 2.
[c] Supplicum jura, ut videtur, ad jus gentium pertinere arbitrabantur. *Hist. de Genghiz-can*, l. i. c. 4.

severæ disciplinæ indicia; nec vero agriculturam[d] et vitæ communioris artes recusant nonnulli. Longe tamen omnes a Græcis distant, hac una re satis disjuncti, quod in hostili cæde et sanguine ferociter gestiunt.

Antiquos Scythas eos qui ponti Euxini oram insederunt, Heroicorum temporum Græcis propiores fuisse arbitror. Ex religionis ritibus[e], ex ipsa lingua, ex mensuris et ponderibus, ex pœnarum ratione, et multis denique vitæ institutis cognatas fuisse inter se gentes[f] et sanguine propinquas colligere licet. Sed hujusce populi origo et historia, utcunque ei ex Herodoto et cæteris quibusdam lucem afferas, mutila est et imperfecta. Magis itaque ex re erit si ad eorum posteros, eos dico qui Germaniam et Europæ partes Septentrionales occupaverunt, aliquando deveniamus. Scio me de gentibus inter se et regionibus et institutis longe disjunctis disceptationem inire, sed ea quæ de Germanis accurate et scienter Tacitus, omnium fere authorum consensu ad universos pertinent. Ex his igitur principiis deducenda res est; ex quibus scilicet tot legum codices qui recentioribus adscribuntur universi profluxerunt.

Nec vero jam obscura Heroicorum temporum lineamenta eruemus, tam in iis quæ publicæ quam quæ privatæ sunt consuetudinis, "Regno enim Arsacidarum acrior est Germanorum libertas[g];" neque tamen illis libertas erat imperii expers, sed regibus quos sua nobilitas, ducibus quos sua virtus

[d] *Abu'l Ghâzi*, p. 317. Majorum etiam suorum memoriam et totam generis seriem eadem qua Græci cura adservabant.

[e] *Herod.*, l. iv. c. 32, &c.

[f] Hanc rem attigit Gul. Clarke in Libro cui tit. *The Connexion of Roman, Saxon, and English Coins*, c. 2.

[g] *Tacitus de Moribus Germanorum*, c. 37.

extulerat ultro sese submittebant[h]; in hoc fere unico, quod rem politicam attinet, a Græcis dissentientes, quod alium sibi regem præficiebant, sub alio duce militabant[i]; quanquam et hanc rem parcius invaluisse arbitror; imbelli certe et timido regi solium periculis obsitum erat. Fuit etiam illis suus Senatus et sua populi concio. Etenim Procerum consessus Senatus vices supplebat, majoris momenti consiliis etiam plebs adhibebatur[k]. Interea vero ordinatim singula peragebantur[l]. Principes sententias ferebant, et tanquam illi Homerici Heroes authoritate sua cæteris moderabantur. Reliqua turba sententiam datam vel fremitu aspernabatur, vel ei frameis concussis assentiebat[m]:—

> — Οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπίαχον υἷες Ἀχαιῶν
> Μῦθον ἀγασσάμενοι Διομήδεος ἱπποδάμοιο.

Ad eosdem principes jus reddendi potestas spectabat[n]; graviora nonnunquam crimina totius gentis concilio subjiciebantur[o]; pecunia autem data vel equorum ac pecudum numero delicta fere omnia luebantur[p]. Reges insuper suos muneribus cumulabant[q]:—

> Οἵ κέ ἑ δωτίνῃσι, θεὸν ὣς, τιμήσουσι·

nonnulli eosdem sacrificiis et cæteris religionis ritibus præficiebant[r]. Nec vero magna illa sanctioris

[h] *Tacitus de Moribus German.*, c. 7.

[i] *Northern Antiquities*, vol. i. p. 161.

[k] *Tacitus de Moribus German.*, c. 11.

[l] Sacerdotes silentium imperabant et plebem coercebant, quibuscum æquiparandi sunt illi Agamemnonis :—

> — Κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.—*Il.* A. 334.

Confer etiam *Il.* B. 95, &c.

[m] *Tacitus de Moribus German.*, c. 11; *Il.* I. 50.

[n] Ibid. c. 12. Vid. *Prælectionem Tertiam.*

[o] *Tacitus de Moribus German.*, c. 12.

[p] Ibid., c. 21.

[q] Ibid., c. 15; *Il.* I. 255.

[r] *Northern Antiquities*, vol. i. p. 141.

religionis principia, quæ regnatorem omnium Deum, neque parietibus cohibendum, neque arte humana adsimilandum, sed ubique præsentem denunciant, Germanis ignota erant; quin et inter tot inanes superstitionis ceremonias, inter tot fabellas quæ vel Græcorum portenta varietate et ineptia exsuperant, ea nonnunquam invenies quæ cum Homericis illis conferenda sunt[s]:—

Οὕτω που Διῒ μέλλει ὑπερμένεϊ φίλον εἶναι,
Ὃς δὴ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα,
Ἠ δ' ἔτι καὶ λύσει, τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον·

et iterum[t]:—

— οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν
Οὐδ' ἀτελεύτητον γ', ὅ τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Deum etiam singulis fere rebus præsidem adhibebant[u]. Suos etiam lucos et nemora Deo consecrata quæ Græci vocant *τεμένη*, habuerunt[x]. Reges autem suos non tantum Diis charos esse voluerunt sed divina stirpe prognatos[y]:—

Φῆσθα σὺ μὲν ποταμοῦ γένος ἔμμεναι εὐρὺ ῥέοντος,
Αὐτὰρ ἐγὼ γενεὴν μεγάλου Διὸς εὔχομαι εἶναι.

Eundem morem veteribus Thraciæ incolis tribuit Herodotus[z] a quibus ad utrosque permanasse credibile est. Qui autem ingentibus factis inclaruerunt reges in Divorum numerum recepti erant[a]. Germanorum in rebus bellicis ferociam et ardorem nihil unquam æquavit. Ex militari gloria pendebat pri-

[s] *Tacitus de Moribus German.*, c. 9; *Northern Antiquities*, vol. i. p. 78; *Edda*, Fab 1.; *Il.* B. 116.

[t] *Il.* A. 527.

[u] *Northern Antiquities*, vol. i. p. 79.

[x] *Tacitus de Moribus German.*, c. 9.

[y] *Northern Antiquities*, p. 63; *Il.* Φ. 186.

[z] Lib. iv.

[a] *Olai Wormii Monument. Danic.*, l. i. c. 4.

mum juventæ decus[b], ex eadem extrema senectutis spes et melioris etiam post vitam conditionis[c]. Qui scuta abjecerunt, Græcorum more, ignominia pœnæ loco afficiebantur[d], et dum cætera delicta pretio redimi possent, proditores et transfugæ capite plectebantur[e]; rapto denique vivebatur; ne mulieres quidem extra bellorum casus se recipiebant[f]. Nec vero eandem quam Græci disciplinam assecutos esse arbitror. Loricis etenim et cæteris armis, quæ corpori tuendo inserviunt, parce utebantur[g]; neque diutinum bellum, et moram pugnæ facile ferebant, qua quidem ipsa re Cimbros et Teutonas debellari posse recte vidit C. Marius. Porro ut privatam vitam respiciamus, iidem pariter in hospitia effusi, neque jura et leges hospitalis mensæ aut non tuebantur aut non decenter ordinabant[h], neque abfuit, ut ita dicam, Græcorum Aqua lustralis[i]. Matrimonii leges præ cæteris religiose colebant. Itaque neque deerat suus pudicitiæ honos, neque "publicatæ erat ulla venia[k]; quin et captivitatem, inquit Tacitus[l], impatientius fœminarum suarum nomine timent; quo quidem dicto mihi mollissima illa Hectoris verba, quibus futuram Andromaches suæ sortem deflet, proxime attingere videtur[m]:—

'Αλλ' οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω,
Οὐδ' αὐτῆς 'Εκάβης, οὔτε Πριάμοιο ἄνακτος,
Οὔτε κασιγνήτων, οἵ κεν πολέες τε καὶ ἐσθλοὶ
'Εν κονίῃσι πέσοιεν ὑπ' ἀνδράσι δυσμενέεσσιν,

[b] *Tacitus de Moribus German.*, c. 13.
[c] *Northern Antiquities*, vol. i. p. 118, &c.
[d] *Tacitus de Moribus German.*, c. 6.
[e] Ibid., c. 12.
[f] Ibid., c. 18.
[g] Ibid., c. 6.
[h] Ibid., c. 21, 22; *Cæsar. de Bello Gal.*, l. vi. c. 23.
[i] *Tacitus de Moribus German.*, c. 22.
[k] Ibid., c. 18, 19.
[l] Ibid., c. 8.
[m] *Il.* Z. 450, &c.

Ὅσσον σεῖ', ὅτε κέν τις Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
Δακρυόεσσαν ἄγηται, ἐλεύθερον ἦμαρ ἀπούρας,
Καί κεν ἐν Ἄργει ἐοῦσα πρὸς ἄλλης ἱστὸν ὑφαίνοις,
Καί κεν ὕδωρ φορέοις Μεσσηΐδος ἢ Ὑπερείης,
Πόλλ' ἀεκαζομένη, κρατερὴ δ' ἐπικείσετ' ἀνάγκη.
Καί ποτέ τις εἴπῃσιν ἰδὼν κατὰ δάκρυ χέουσαν,
Ἕκτορος ἥδε γυνὴ, ὃς ἀριστεύεσκε μάχεσθαι
Τρώων ἱπποδάμων, ὅτε Ἴλιον ἀμφεμάχοντο.
Ὥς ποτέ τις ἐρέει· σοὶ δ' αὖ νέον ἔσσεται ἄλγος
Χήτεϊ τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἀμύνειν δούλιον ἦμαρ·
Ἀλλά με τεθνειῶτα χυτὴ κατὰ γαῖα καλύπτοι,
Πρίν γ' ἔτι σῆς τε βοῆς, σοῦ θ' ἑλκηθμοῖο πυθέσθαι.

Muneribus etiam oblatis uxorem suam vir ambiebat et domum deducebat[n], ἐέδνοισι βρίσας[o]. Epularum et conviviorum tantus erat honos, ut in illis de gravissumis rebus consilium inirent[p], neque aberat convivio recentiori saltem ætate vates, qui majorum res gestas caneret. Venandi etiam idem studium quod apud ferocem populum et bellicis rebus deditum fere semper locum habet. Magna etiam erat Germanis ferri penuria et parcus usus[q], unde de artium communium statu eandem fere quam apud Græcos conjecturam facias. Hisce igitur rebus Heroicorum temporum vitam referebant Germani; quæ quidem omnia quam magna sunt, testimonio sit audacia ista qua Romanum imperium incursaverunt; testimonio sint denique illi recentioris ævi navales Cimbrorum excursus. Nec vero omni ex parte referebant. Mercaturæ etenim et agriculturæ parum studebant[r]; nec nisi per vices agros occu-

[n] *Tacitus de Moribus German.*, c. 18. Idem fere apud Thracas mos obtinuit. Ὠνήσομαι Θρακίῳ νόμῳ. *Xen. Anabasis*, l. vii. p. 541.

[o] *Od.* Z.

[p] *Tacitus de Moribus German.*, c. 22. Confer *Hom. Il.* I.

[q] *Tacitus de Moribus German.*, c. 6.

[r] *Cæsar de Bello Gal.*, l. vi. c. 22.

pabant[s], neque arboribus conserendis operam dabant[t], nec vero adhuc Taciti ætate in urbes coacti erant[u]. Erat denique in ipso victu et vestitu, et in plerisque minus exculta vitæ ratio; nec vero negaverim veterum Germanorum posteros, eos etiam qui in suis finibus permanserunt, neque alienos mores affectaverunt, in omni vita magnos profectus fecisse, et adeo minori intervallo a Græcis disjunctos esse.

In his igitur rebus Argumento huic nostro finem facere libet. Possim quidem indigenas Americæ incolas ad examen revocare; quorum tamen magna pars eandem quam Orientis populi servitutem passa est; cæteri in humaniori vita parum profecerunt, neque si forte nonnulla apud eos magni et elati animi indicia invenienda sunt, idcirco cum iis res est, qui labores prorsus refugiunt, neque ullam in artibus colendis operam ponunt; quibus denique ea vitæ feritas, quæ nullis legibus coerceri vult.

Fuerunt itaque Homero subsidia quæ sibi cum multis aliis communia sunt, cum iis scilicet scriptoribus, quibus ea ætas obtigit, in qua vitæ Humanitas inchoata sed nondum tamen absoluta est. Magni enim interest, quænam vitæ humanæ facies et imago ante oculos obversatur. Non aliunde petenda est supellex qua instructus ad scribendum se confert Poeta; neque ad aliud exemplar materiem suam fingit, adeo ut quacunque evagetur animus veritatem tamen tueatur et intra eam consistat. Jam vero in hoc quem diximus rerum statu nondum perpolitis moribus naturam incorruptam intueri et contemplari fas est. Ex hoc eruamus necesse est

[s] *Tacitus de Moribus German.*, c. 26. [t] Ibid. [u] Ibid., c. 16.

veros illos et sinceros affectus nondum fuco oblitos neque pravitate vitæ inquinatos. Non enim statim sese exerit natura; neque in media barbarie et vita immani satis intelliguntur carissuma illa vincula quibus inter se devinciuntur homines; neque animi et ingenii vires statim et sua sponte excitantur, neque nulla exercitatione augentur. Vita politica opus est; opus est commercio, et legibus, et artibus etiam quibusdam. Contra excultis jam et perpolitis moribus natura prorsus obruitur. Ipsa officiorum varietas, ipsa vitæ politicæ implicata et involuta ratio novam rerum faciem obducit; pro negotiorum et commercii diversitate alii in alios mores, et in alios affectus proripiuntur. Juvenum animi ad suorum temporum et suæ gentis normam sedulo effinguntur. Consuetudo denique et seculum omnia habet, vel inter loquendum verborum argutias et sententiarum subtilitatem sectamur; unde tot linguarum idiomata tanto intervallo inter se distantia. Fastidio denique male delicato simplicitatem vitæ et severitatem refugimus. Non igitur ex his temporibus instruenda est Epica Poesis quæ grandiores conceptus et naturæ dignitatem exquirit; neque in iis consistit quæ unius loci sunt et temporis; recte quidem in his Comœdia se exercet, quæ minores rerum differentias et infinitam fere morum varietatem sectatur, neque adeo in hisce diverticulis sese oblectare dedignatur, et humiliorem personam gerere. Cum autem rerum et hominum singularium accuratam descriptionem aversatur fere Heroica Poesis, et ad eam scribendi rationem se confert quæ magis Universalis sit et magis Philosophica [x], ad ipsam naturam confugiat necesse est; et

[x] Vide *Prælectionem Primam*.

ad eum rerum statum in quo animi vires neque intentatæ delitescunt, neque arte et consuetudine obruuntur. Exquiret autem potissimum eum temporis articulum, in quo perspectis jam et rite intellectis iis quæ ex communitate vitæ oriuntur vinculis, effuso et soluto cursu ad ulteriores progressus abripitur mens humana, in quo non jam ex mero affectu et subita libidine agunt homines, sed personam habitu et ratione compositam gerunt. Eodem etiam confugiet Philosophia Ethica, si modo ea explorare velit, quæ non singulis gentibus sed humano generi propria sunt. Neque deerit personarum et morum diversitas et notæ majores quædam, "sicut indomitus ager habet herbas quasdam lætiores [y]." Quin et Historia et gravissimorum authorum consensus huic rei fidem adstruit, quæ enim ad nos pervenerunt antiquæ poeseos fragmenta, utcunque sint rudis et incomptæ Musæ, magniloquentiam tamen et conceptuum sublimitatem plerumque præ se ferunt. Vetustiori certe Græcorum poesi, et illis quæ in Septentrionali Europa tanto suorum studio et honore increbuerunt carminibus, optimo jure hæc laus tribuenda est. Illud etiam Ennii invito quamvis auctore in has partes trahere libet:—

— "Scripsere alii rem
Versibus, quos olim Fauni Vatesque canebant,
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat [z]:"—

et ipsius Ennii reliquiæ exempli loco hic citari possent.

Sunt igitur hæc ut dixi Homero cum aliis com-

[y] *Dialogus de Causis Corruptæ Eloquentiæ*, c. 40.

[z] *Ennius apud Cic. in Bruto*, c. 18, &c.

munia, ex quibus tamen facile deducenda sunt, ea quæ ipsi propria sunt; quo enim majore impetu sese exerit natura humana, quo majore apparatu instruitur, eo magis poeticis rebus inservire necesse est. Illa autem quæ ex libertatis et rerum gerendarum studio suboritur audacia, eandem apud Græcos, quam apud cæteros Europæ populos vim habuit; quin et eo ipso tempore ab Ægypto et Oriente transvecta sunt artium quarundam et vitæ melioris initia, adeo ut pari animi ardore sed novis subsidiis adjuti eandem viam ingressi sint. Illud etiam raræ temporum felicitati tribuendum est, quod eadem tempestate singuli regiones suas occupaverant Græci, institutis quidem illi et moribus quibusdam inter se disjuncti sed arctissima simul cognatione devincti; quæ certe res æmulum illum ardorem fovit, et novis stimulis exacuit, neque unquam refrigerari passa est; dum singuli in hac aut illa re ad principatum enitebantur. Adjumenta itaque et subsidia omnia in promptu erant, quæ nunquam non avide arripuit populus elatæ et excelsæ mentis, et in usus suos transtulit. Hunc populum medio jam in cursu ex barbarie sese explicantem ante oculos habuit Poeta, hos mores sibi pro materiâ nactus est: non fictos illos et male compositos sed honestos et severos. Hinc depromta est illa personarum varietas et dignitas, illa sententiarum constantia, illa denique naturæ et vitæ humanæ multiplex notitia, qua unus omnium maxime eminet. Fortunatus certe præ cæteris, quod in ea ætate natus est, cui, quod Poeticos usus attinet, parem et similem frustra requiras. Temporibus longe diversis floruit Virgilius. Sensit itaque exactissimi vir judicii, a suæ ætatis moribus prorsus alienam esse Epicam Poesin, ad Heroica

tempora refugiendum esse, siquid in hac re proficere vellet. De iis itaque scribendum erat, quæ neque ipse viderat, neque nisi conjectura assequi potuit, si forte in hac aut illa re defuerit veterum authorum testimonium, nec vero facile erat a suis temporibus omnino se cogitatione divellere. In Virgilio igitur imitatorem passim agnoscas, Homerum ad naturæ exemplar unice conformatum habes.

PRÆLECTIO SEPTIMA.

SUB ipso statim harum disputationum initio haudquaquam me fefellit rerum Homericarum notitiam neque exiguis finibus contineri, neque intra unam doctrinæ particulam consistere. Itaque ubi de Heroicorum temporum moribus habitus est sermo, eam quæstionem in universum quodammodo tractavimus, ex quibus principiis exoriatur, quibus indiciis se prodat, et quibus gradibus provehatur vitæ cultus et humanitas. Neque me quæstioni isti prius satisfecisse arbitratus sum, quam aliarum etiam gentium, quibus cum antiquis Græcis propior cognatio intercessit, mores attigissem. Proximum est de ipsius Poeseos statu disceptationem inire: etenim in hac arte ut in cæteris fere omnibus seriem quandam et progressum agnoscimus; neque statim atque uno impetu principatum assequuntur homines, sed gradatim alienis laboribus adjuti; unde inter subsidia Homerica suorum temporum Poesis merito ponenda est. Jam vero cum et Græcis indigenæ sit Poesis et apud eosdem plenam sui naturam consecuta sit, non ex parte tantum Homericæ vel Græcæ etiam Poeseos fontes aperiendi sunt, sed in universum totius artis; neque aliunde rei poeticæ quæ quidem secundum naturam sit origo et historia peti potest. Siquid enim profecerint Romani, certe illud non suo Marte asse-

cuti sunt sed Græcis magistris usi. Totam autem Neotericorum poesin ex Græca et Romana conjunctim profluxisse constat. Asiaticam nihil moror, quam certe turgidam esse et minus sinceram uno fere ore omnes agnoscunt, quibus sanum de his rebus judicium est. Sufficiat de illa loqui, quæ Athenas in tantum extulit, quæ Romanos agrestes et bello feroces excoluit, quæ denique per totam Europam habitu et fortunis suis diversa disseminata est. Sufficiat in ea tempora incidisse quæ unice tantæ rei primordia complectuntur.

Nec vero sum ignarus quam difficilem et obscuram rem mihi tractandam suscipio, neque quam sero ex ea caligine, qua omnium fere artium origo obruitur, se expediit magnum et illustre Poeseos nomen ; unde factum est, ut illam potius suis numeris absolutam contemplari soleamus, quam medio in cursu et habitu nondum exculto.

Memorantur quidem non pauci ante Homerum Scriptores, quorum fere omnium nomina et de iis testimonia congessit Fabricius in Bibliotheca sua Græca. Nobis non vacat de singulis sententiam ferre, neque vero operæ pretium est, cum dubii plerique nominis sint et authoritatis. Nostrum tamen est dijudicare quonam sensu hæc accipienda sunt, ne forte temere agnosceremus Iliada et Odysseam prima fuisse nascentis statim Poeseos incrementa. Facilius igitur de hac re judicium erit si in suas classes scriptores de quibus loquor distribuamus. Sunt itaque nonnulli quos veteris cujusdam authoris vox ambigua aut prave interpretata, vel recentiorum error et fides mala, vel suorum nimius favor vel denique ipsius Poetæ fraus et vanitas ultra suam ætatem extulit. Ex hoc ordine

notissimi sunt Aristeas Proconnesius, Arctinus Milesius, et Pamphus Atheniensis; de quibus omnibus si ex veterum testimoniis rite perpensis judicium fieret, eadem erit sententia, antiquos quidem fuisse sed Homero longe recentiores; Pamphi Atheniensis antiquitas ex unius Pausaniæ testimonio[a] (mitto Philostratum[b]) pendet, qui illum antiquissimum apud Athenienses Hymnorum scriptorem esse ait; sed neque satis constat quænam illa apud Athenienses Hymnorum antiquitas, neque Pausaniæ authoritas in hac re tantum valet, ut huic quæstioni dijudicandæ per se sufficiat; Aristeam Proconnesium Arimaspiorum carminum authorem celebrant nonnulli, et miras de illo fabulas narrant[c]. Scripsit itaque de populo ignoto et regionibus longe dissitis; cognatæ autem sunt naturæ quæ a nobis temporibus et locis dissociantur; fabulæ autem quæ de illo narrantur ex longinqua illa profectione plane originem ducunt; mihi sufficiat Strabonis authoritas[d], cujus verbis acerbissime notatur, tanquam *ἄνηρ γόης εἰ τις ἄλλος*. Sed et alii eum Crœso[e] alii Herodoto[f] æqualem faciunt. Ipsa etiam ejus quæ nunc extant fragmenta ex Homero male desumpta sunt[g]. Hunc adeo quidam Homeri magistrum vocant[h], Arctinum autem Milesium ejusdem discipulum[i]; qui si Metaphorice locuti sint, nulla jam ultra est controversia. Arctinum certe optimi

[a] Vid. *Pausan. Bœot.*, cc. 27, 29, 31, 35; *Attic.*, cc. 35, 39; *Achaic.*, c. 21.

[b] Extat apud Philostratum in Heroic. Pamphi fragmentum.

[c] Vid. *Tzetz. Chil.*, 2. H. 50; *Suidam*; *Herodot.*, l. 4. cc. 3—16.

[d] *Strab.*, l. 14. p. 639.

[e] *Suidas.*

[f] *Tzetzes.*

[g] Vid. *Longinum*, s. 10; *Tzetzen Chil.*, 7. 68.

[h] Vid. *Eustath. in Il.* B; *Strab.*

[i] *Suidas*; *Tzetzes.*

authores[k] Cycliorum poetarum ætati adjudicant. Possim de hisce singulis plura congerere: facile tamen istorum hominum artes se produnt, qui ut historiæ laboranti succurrant, inepto studio nomina et personas huc illuc transferunt et de suo loco dejiciunt; cui quidem vitio unica est medela, ea quæ in illis temporibus nulla erat, temporum accurata ratio.

Sequitur illorum ordo quorum apud Poetas magna est fama; illorum dico quos Græcorum mythologia artium et scientiarum inventores fuisse prædicat; qui tamen inter Heroas potius Homericos quam inter Poetas recensendi sunt; quales sunt Chiron Thessalus, Amphion et Linus Thebani. Etenim facile erat recentioribus, siqui in Heroica ætate præ cæteris sapere visi sunt, eos poetarum numero adscribere, præsertim cum apud Græcos non tantum artium præstantissima semper habita est Poesis sed etiam prima. De eorum tamen scriptis nemo vetustiorum unquam somniavit, cum de viris ipsis nihil certi haberent quod in annales suos referrent. Hæc igitur plane recentiorum figmenta sunt, apud quos quidem Lini fragmenta circumferuntur, de quibus quid sentiam mox erit dicendi locus. Huic igitur scriptorum ordini ex mediis fabulis petito adjungas ea etiam nomina de quibus ne fabulæ quidem extant; quibus artes quædam et animi vires et facultates poetico more designantur, Phantasiam dico Phanotheam, et Themin.

Tertius est eorum ordo quos Homerus ipse vel alii antiqui Scriptores celebraverunt; Demodocum dico Phemium, Thamyrin et alios non paucos Heroicorum temporum vates et citharædos; nec

[k] *Clemens Alex.; Eusebius; Athenæus.*

vero illis Poetici nominis famam invideo; sed eorum scripta extitisse et ætatem tulisse apud optimos scriptores nulla est suspicio. His accensendi sunt hospites et sodales Homerici[l], et ii etiam qui in Heroicis temporibus isti quæ tum erat philosophiæ operam dederunt, quo nomine memorantur Pittheus Træzenius et Palamedes Argivus, et quidem in proclivi erat inter scriptores referre quem Euripides vocavit τὰν πάνσοφον ... ἀήδονα Μοῦσαν[m].

Supersunt adhuc alii quos religionis Græcæ authores et antistites omnis antiquitas celebravit, de quibus insuper idem est omnium testimonium in Musica et Poetica arte versatos fuisse; Græcorum autem religio ut videtur non uno tempore conficta est, neque ex una regione in Græciam transvecta, sed diversis temporibus hinc inde varia incrementa accepit. Quemcunque igitur in augendo et promovendo cultu suo authorem habuerunt, eidem etiam poeticam quandam famam tribuebant. Hanc adeo personam gerebant Orpheus Musæus et Eumolpus Thraciæ incolæ, et infula sacerdotali et lauro etiam poetica donati. Eandem Olen ex ipsa Hyperboreorum gente, recte enim cum illis poeticam laudem communicabant, a quibus Apollinis sacra didicisse fama erat[n]:—

Μοῖσα δ' οὐκ ἀποδαμεῖ,
Τρόποις ἀπὸ σφετέροισι.

Eandem Idææ matris sacerdotes Olympus et Mar-

[l] Ex quorum numero sunt *Creophylus Samius*, et *Protrapides Athen. de Creophylo.* Vid. *Plat.*, l. 10. *de Rep.*; *Strab.*, l. 14; *Eustath. in Il.* B; *Suidam*, &c.; *de Protrapiden*; *Diod. Sicul.*, l. 3. c. 66.

[m] *Euripid. in Palamede.*

[n] *Pind. Pyth.*, 4. Vid. *Herod.*, l. 4. c. 35, &c.; *Pausan. Phocic.* c. 5; *Ath.*, c. 18; et alibi.

syas[o]. Eandem Phemonoe Delphica[p] et Bacis et Sibylla et Philammon Delphicus[q], ex ipsa Græcia religionis jam provectioris antistites; quin et jam nunc supersunt quamplurima quæ Orphei nomen præ se ferunt, supersunt etiam ex Musæi et aliorum scriptis excerpta. Longe autem plura fuisse quæ sub eorum nominibus olim circumferebantur ex optimorum authorum testimoniis patet. Citantur ab ipso Aristotele non semel τὰ Ὀρφικὰ ἔπη[r], de iisdem tanquam iis quæ omnium manibus ferebantur loquitur Plato[s]. Sed tamen in tanto omnium consensu non pauca sunt quæ festinantem morari possint. Primo enim illud animadvertendum est antiquissimum quemque scriptorem parcius de scriptis Orphei et cæterorum carminibus loquutum esse, recentiores magis frequenter et audacter. Herodotus decantata illa Orphica, ut mihi videtur, prorsus non agnoscit, cujus tamen solertiam et sedulitatem vix effugere potuissent, si eadem qua postea fama jam tum celebrata essent[t], neque vero Orphicos ritus ignoravit. Idem erat secundum Ciceronem Aristotelis judicium, "Aristoteles docet Orpheum poetam nunquam fuisse[u]." Deinde aliis fere tribuuntur ea quæ Orphica vocantur. Hinc Aristoteles, ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς καλουμένοις ἔπεσι[x]: et iterum, ἐπὶ τοῖς λεγομένοις Μουσαίου ἔπεσι[y]:

[o] Vid. *Plut.* περὶ Μουσικῆς; *Aristot. Polit.*, l. viii. c. 5.

[p] Vid. *Pausan. Phocic.*, cc. 5 and 12; *Strab.*, l. ix. p. 149; *Procl. ap. Phot.*, &c.

[q] Vid. *Pausan. Phocic.*, c. 7; *Plut.* περὶ Μουσικῆς.

[r] *Aristot. de Gen. An.*, l. ii. c. 1; *De Anima*, l. i. c. 5; *De Mundo*, c. ult.

[s] *Plat. de Rep.*, l. ii., et alibi.

[t] *Herod.*, l. ii. c. 53.

[u] *M. T. Cic. de Nat. Deorum*, l. i. c. 34.

[x] In Locis supra citatis.

[y] *Aristot. de Hist. Animal.*, l. vi. c. 6.

neque alia fuit ut videtur Platonis sententia. Suidas nominatim recenset ea quæ Orpheo tribuebantur opera, et singula suis authoribus addicit. Onomacritus etiam tanquam Orphicorum carminum scriptor passim memoratur [z]. Quod materiem attinet fragmenta hæcce partim religionis erant, quæ ritus et instituta designarent, vel etiam, ut erat istorum temporum ratio, Oraculi vices gererent; partim in intima philosophia et theologica quam vocabant scientia versabantur. De prioribus facilis est quæstio, si Herodotum ducem sequamur qui de Onomacrito testatur eum fuisse διαθέτην χρησμῶν τῶν Μουσαίου [a]: porro ab Hipparcho patria pulsum fuisse quod oraculis istis aliena interponeret, fraude deprehensa et omnibus notissima; nec dubitandum est cæteros etiam qui eundem quæstum exercebant (χρησμολόγους Græci vocant) de suo vel omnino vel ex parte oracula ista depromsisse. Hinc Bacidis oracula et eorum apud suos populares usum Aristophanes non semel irridet [b]. Totus etenim artis sortilegæ quæstus ex fraude pendebat, et novis antiqua miscendo, obscura notioribus, fraudi suæ religionis speciem obducebant, et fortasse in illis qui nunc extant Hymnis Orphicis artis istius vocabula habes; totus enim liber nihil aliud est quam nominum et epithetorum quibus Deos suos invocabant congeries. De fragmentis philosophicis alia est quæstio, quæ tamen, si in re tam difficili liceret meum judicium interponere, ex Sophistarum scholis profluxisse arbitrarer, et si magis accurata sententia proferenda

[z] *Ap. Pausan. Att.*, c. 22; *Sext. Empiric.; Clement. Alex.*, *et Tatian.*; de ætate poetarum et sortilegorum multa habet *Clemens. Strom.*, l. i. c. 21.

[a] Lib. vii. c. 6.

[b] Vid. *Aristophanis*, Ἱππεῖς, Act. i., et ejusdem Εἰρήνην.

sit, a Pythagoricis vel aliis Italicæ Scholæ philosophis conscripta fuisse non dubitarem. Communi enim vitio Pythagorici, Eleatici, et cæteri ejusdem regionis et temporis philosophi obscurum quiddam et involutum sectabantur; nec vero hoc fidenter loquor, sed conjecturæ loco, nec vero mihi omnia subsidia in promptu sunt, ex quibus hanc quæstionem decerni velim. Hæc adeo mihi Orphica ista perlegenti et cum Empedoclis, Heracliti et Parmenidis reliquiis conferenti ex ipsis sententiis et orationis stylo jam olim suspicio suboriebatur. Exempli gratia illud Lini apponam, quod (si modo ista quam sequor vera lectio sit) non Heroicorum temporum Vatem sed Scholæ Pythagoricæ Sophistam prorsus sapit [c]:—

> Ἠδ' ὕλην πρώτιστ' αἰσχρῶν δώτειραν ἁπάντων
> Ἣν ἐπιθυμία ἡνιοχεῖ μάργοισι χαλινοῖς.

Eandem fere metaphoram fusius prosecutus est Parmenides [d].

Nec vero hæc sine teste neque sine argumentis loquor. Herodotus qui nullum poema Homero antiquius agnoscit, de Orphicis et Pythagoricis institutis conjunctim verba facit [e]; Laertius Pythagoram ipsum hujusce fraudis incusat [f]; Aristoteles teste Cicerone Cercopem Pythagoreum [g], Jamblichus Pythagoræ discipulos quosdam [h], neque Platonem effugit mira Heracliteæ philosophiæ cum Orphei carminibus consensio [i]. Quidnam autem causæ est, cur Proclus et

[c] Extat fragmentum ap. *Stobæum;* vid. *H. Steph., Poes. Philosoph.*

[d] Vid. *Poes. Philosoph.*, p. 41.

[e] Lib. ii. c. 83.

[f] *Diog. Laert. in Vit. Pythag.*

[g] *M. T. Cic. de Nat. Deorum,* l. i. c. 34; vid. *Clem. Alex. Strom.*, l. i. c. 21.

[h] *Jamblichus in Vit. Pythag.*

[i] *Plat. in Cratylo.*

cæteri sequioris ævi Scriptores tam sollicito studio Platonicæ et Pythagoreæ philosophiæ principia ab Orpheo deducta esse voluerunt? nimirum ut doctrinam suam velo obducerent, et ipsa antiquitate sanctiorem facerent. Nec vero in Orphicis carminibus ea quæ plerique (pace dixerim tantorum virorum) remotæ antiquitatis indicia agnosco. Ab Homerica sane illa et primæva simplicitate et verba ipsa et Syntaxis et sententiarum habitus, totus denique orationis color quam longissime abhorret. Siquid autem extra illud quod vulgare et humile est evagetur author, nulla est indomitæ et incultæ naturæ similitudo, sed dicendi genus importunum et nimia arte compositum, ut facile agnoscas viri opus esse qui tenebris et mysteriis studet. In ea denique sententia prorsus sum nullum unquam fuisse Orphei vel Musæi vel Lini legitimum opus, præsertim cum inter tot veterum oracula vix unum aut alterum sit de quo non statim sententiam feras Homero recentius esse, sed hæc omnia vel ab iis conscripta sunt, qui sortilegam artem exercebant, vel ab Italicæ Scholæ sophistis [fuerunt enim ex qualibet secta sophistæ, homines plerumque fraudulenti et loquaces] vel etiam ab aliis qui ingenii exercendi gratia, fraudis denique et quæstus studio sua scripta sub alieno nomine venditabant, quod genus hominum apud Græcos non infrequens erat. Sunt etiam quæ vel ipsis Christianis debentur vel certe non ante natum Christum prolata sunt a recentioribus fortasse Platonicis conscripta, multa etiam fragmenta non nisi apud Christianos authores inveniuntur, dum fabulas et testimonia ab adversariis suis allata ultro excipiunt, et suis telis hostes opprimi volunt.

Nec vero temere hæc et nullo consilio conficta esse velim, sed ex historia et nomina ipsa, quæ operibus suis præfigebant, et dogmata etiam quædam eruebant. Fuerunt scilicet veterum Theologorum et vatum reliquiæ quædam ore tenus conservatæ, fuerunt ritus et instituta quæ ab Orpheo, et Musæo, se didicisse fatebantur Græci, fortasse etiam Philosophiæ rudimenta quædam quæ ex summa antiquitate deducta esse jactitabant, quo quidem sensu Euripidis locum interpretari velim[k] :—

> οὐδέ τι φάρμακον
> Θρῄσσαις ἐν σανίσι, τὰς
> Ὀρφεία κατέγραψε
> γῆρυς.

Hinc ille Orphei τέλεται et κάθαρμοι, hinc illi Musæi χρήσμοι. Nec vero quicquam obstat quo minus Deorum tituli et epitheta et artis quædam vocabula ex ipsa religionis origine ad seram usque ætatem pervenerint, ab Eumolpidis, Iamidis et cæteris ejusdem notæ familiis conservata et in mysteriis suis usurpata. Ex hac igitur materia undequaque conquisita et scite composita ita totum opus constructum est ut veritatis et antiquitatis speciem præ se ferret.

Sunt et alia in hunc finem ex verisimili argumenta, vix enim si tot opera incorrupta ad manus essent, tantum de iis vetustissimi scriptores silentium egissent, nec tam ambigue loquuti essent, neque in fabulis Orphicis enarrandis tempus consumpsissent, si ad scriptorum operum normam revocanda res esset, neque de religione sua tantas turbas movissent, si ex una parte ad ipsos fontes aditus patuisset;

[k] *Eurip. Alcest.* 967.

hoc enim est quod aiunt nodum in scirpo quærere; neque ea recentioribus Proclo, Clementi, et Eusebio reliquissent, sed verso rerum ordine ipsi in illis magis frequenter et magis accurate versati essent; sed apud eos obscura tantum de Orphicis fama est quam arripuerunt posteriores et in usus suos transtulerunt.

Deinde ipsa literarum origo et usus Trojani belli tempora haud ita multis seculis antecessit. Neque me movet, quod variæ sint super hac re fabulæ. In hoc saltem plerique consentiunt, vel si qui lites movent nullum omnino earum usum Heroicæ ætati concedunt[1]. Homerus ipse hanc rem plane agnoscit cum de pugillaribus et epistola Bellerophonti traditis verba facit; sed cum semel tantum de literis loquutus est, nondum earum usum increbuisse et ad vulgus permanasse credibile est. Suis fortasse temporibus magis aperta res erat, neque enim facile ignotis prorsus literis eo usque accrevisse potuit lingua Græca. Crediderim itaque inventas fuisse literas Trojani belli temporibus sed nondum usu frequentatas neque ab omnibus intellectas; neque enim aliter mea quidem sententia Homeri ipsius opera incorrupta servari potuissent, neque tantum valet memoria, utcunque illi ex necessaria et perpetua exercitatione vis accesserit, ut tantæ magnitudinis opera quæ tot partibus constant complectatur et integra fide posteris tradat. De literis porro si recentioris fuissent originis magis facilis esset quæstio.

Constat igitur nulla ipsius Orphei et Musæi et cæterorum ejusdem ævi scripta ætatem tulisse; quod quidem longiore oratione et pluribus argumentis

[1] *Joseph. cont. Apion*, l. i. c. 2.

si opus fuerit comprobare possim. Possim etiam eandem rem veterum testimoniis confirmare [m]. Sed neque fabulas hasce prorsus repudiari velim. Sunt enim quæ si recte intelligantur et cum Homeri ipsius verbis conferantur Græcæ poeseos originem haud obscure designent. Ad ipsum igitur poetam tandem deveniamus suorum certe temporum historiæ ex omni parte optimum interpretem. Apud illum itaque vatis nomen et studium cæteris artificiis accensetur quæ jam tum excolebantur [n] :—

εἰ μὴ τῶν οἱ δημιοεργοὶ ἔασιν,
Μάντιν, ἢ ἰητῆρα κακῶν, ἢ τέκτονα δούρων,
Ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδὸν, ὅ κεν τέρπῃσιν ἀείδων;
Οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.

Omnes igitur harum artium cultores magno in honore habiti erant, præ cæteris tamen eminebat vates [o] :—

Πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ
Τιμῆς ἔμμοροί εἰσι καὶ αἰδοῦς, οὕνεκ' ἄρα σφέας
Οἴμας μοῦσ' ἐδίδαξε, φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν.

Hunc epulis socium adsciscebant, et attente semper audiebant [p] :—

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι
Ἢ ὅτ' εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κάτα δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ
Ἥμενοι ἑξείης.

Hunc etiam religionis et sacrorum ministrum habebant, ita enim illud accipio [q] :—

ὅς τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀείδω.

[m] *Ex Herodoto*, l. ii. c. 53; *Sext. Empiric. adv. Gram.*, l. i. c. 10; *Philost. Procem. Her.*; *Dion. Chrys. Trojan. Orat.*; *Joseph. cont. Apion.*, l. i. c. 2.

[n] *Od.* P. 383.

[o] *Od.* Θ. 479.

[p] *Od.* I. 5.

[q] *Od.* X. 346.

Adstabat etiam caducentor qui eum in coronam deduceret, et citharam illi in manus traderet [r]:—

> Κῆρυξ δ' ἐγγύθεν ἦλθεν ἄγων ἐρίηρον ἀοιδόν.
> Κῆρυξ δ' ἐν χερσὶν κίθαριν περικαλλέα θῆκε
> Φημίῳ, ὅς ῥ' ἤειδε παρὰ μνηστῆρσιν ἀνάγκῃ.

Eundem suspiciebant omnes tanquam divino numine afflatum et eximia facultate præditum [s]:—

> Τὸν πέρι μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε,
> Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν.

Et iterum [t]:—

> Δημόδοκ', ἔξοχα δή σε βροτῶν αἰνίζομ' ἁπάντων,
> Ἢ σέ γε μοῦσ' ἐδίδαξε Διὸς παῖς, ἢ σέ γ' Ἀπόλλων.

De sua etiam arte Phemius tanquam minime vulgare [u]:—

> Αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
> Παντοίας ἐνέφυσε.

Hinc poetica vis divinandi arti affinis habebatur, quo quidem sensu epitheton illud *θέσπιν ἀοιδὸν* intelligi vult Eustathius, et vates adeo ipse Diis charus et personæ sacrosanctæ [x]:—

> Αὐτῷ σοι μετόπισθ' ἄχος ἔσσεται, εἴ κεν ἀοιδὸν
> Πέφνῃς.

Hæc itaque omnia artis vestigia sunt, neque ignotæ et inhonoratæ, neque in communi usu positæ. Eo etiam spectant nonnulla ut primam Græcorum poesin religionis ministram fuisse demonstrent. Quod siquis hæc Homerum nimis gloriose de sua arte prædicasse putet, mitto eum ad istas quas modo tractavimus fabulas, quæ certe in eundem finem consentiunt et ex hisce fontibus derivantur.

Tandem igitur Poeseos historiam fabulis suis

[r] *Od.* Θ. 62; Α. 153. [s] *Od.* Θ. 63. [t] *Od.* Θ. 487.
[u] *Od.* Χ. 347. [x] *Od.* Χ. 345.

exutam ita instituimus, una cum humanitate vitæ exortam esse, et ab iis ipsis excultam a quibus artes et religionis ritus; adeo ut ab iisdem fontibus profluxerit, ex quibus incrementa sua accepit religio; ex Thracia nimirum, ex Syria et Ægypto, ex Phrygia et etiam ex Hyperboreis regionibus. Sub ortu itaque primo sacris peragendis et Deorum festis interesse solebat. Hymnos adeo et Pæanas in Deorum laudes conscriptos prima habemus nascentis rei Poeticæ rudimenta. Facili mox progressu non tantum rebus sacris sed epularum etiam festivitati inserviebat; illud enim omnibus usu venit ut intervalla laborum suorum consecrarent et solennitate quadam celebrarent: *θεοὶ δὲ οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπίπονον πεφυκὸς γένος, ἀναπαύλας τε αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο, καὶ τῶν ἑορτῶν ἀμοίβας τοῖς θεοῖς, καὶ* Μούσας, *'Απόλλωνα τε μουσηγέτην καὶ Διόνυσον ξυνεορταστὰς ἔδοσαν*[y]. Ac primum quidem Deos epularum præsides, mox Heroum etiam laudes et res gestas canebant, eo quo semper usi sunt consilio Græci, ut ex avita gloria famam sibi conciliarent. Ampliorem igitur jam materiem complexa est Poesis, et facta est non tantum religionis ministra et satelles, sed historiarum conservatrix et magnorum virorum laudatrix. In hoc temporis articulo crescentem jam indies artem excepit Homerus. Hinc de Achille suo, *ἀείδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν*[z]. Etenim ex hac arte ingentem spiritum et ardorem animi Pelides ipse conceperat[a]. Et mihi quidem videtur

[y] *Plato de Legg.*, l. ii.

[z] *Il.* I. 189.

[a] Addas licet illam Penelopes suavissimam vocem:—

Φήμιε, πολλὰ γὰρ ἄλλα βροτῶν θελκτήρια οἶδας,
'Εργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε τά τε κλείουσιν ἀοιδοί.—*Od.* A. 337.

Phemius Achivorum reditum, Demodocus Ulyssis et Achillis jurgium, mox Trojæ excidium canit.

Poeta in illa Sirenum cantilena ea congessisse quæ sui temporis Vates ad citharam solebant decantare[b] :—

Ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν·
Ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ·

quod si verum sit omnis jam scientia et ea præcipue quæ politica vocatur Poesi subjiciebatur. Nec vero obscure loquitur Poeta de studio quo novam carminis materiem plerique sectabantur[c] :—

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται·

quin et memoriæ proditum est, vel ante Homerum Poetas inter se concertasse et præmia victoribus delata fuisse[d].

Hæc igitur ex ipso pleraque Homero, quibuscum tamen Aristoteles consentit, qui rei Poetices originem eodem quo cætera animi acumine perlustravit. Sed paucis ut solet sententiam suam exposuit[e]. Ἐγέννησαν, inquit, *τὸν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων*, nimirum ex incomptis carminibus quibus Deos placabant, et sese post exactos labores oblectabant. Mox eandem rem ulterius prosecutus, *διεσπάσθη δὲ κατὰ τὰ οἰκεῖα ἤθη ἡ ποίησις*, ut ex hac parte in seriis rebus et gravioribus personis sese exerceret, ex altera in convicia et rem ludicram transiret, erat enim inter epulas jocis et licentiæ locus. Ex Deorum itaque Hymnis profluxerunt magnorum virorum laudes, ex magis frequenti apud vulgus poeseos usu, in Satiram et Comœdiam delapsa est.

[b] *Od.* M. 189.
[c] *Od.* A. 351.
[d] *Eustath. ad Odyss.* Γ. 267; *Pausan. Phocic.*, c. vii.
[e] *Aristot. Poet.*, c. iv.

Itaque de hymnis et laudativa poesi Aristoteles tanquam re notissima, eorum etenim qui in his rebus versati sunt nomina et fama ad ipsum pervenerant, de ludicra poesi non item: *Τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα· εἰκὸς δὲ εἶναι πολλούς.* Cum enim epulis interesse solebat Poesis etiam ante Homeri tempora credibile est hanc ejus partem non prorsus intactam fuisse; interciderant tamen authorum nomina, quæ quidem ipsa res ut mihi videtur magno est indicio in Heroum fere laudibus substitisse veterum Poesin, vel saltem ex ea parte maxime celebratam fuisse; in utraque specie Homerus cæteros omnes longe exsuperavit. Itaque nihil ultra desideratum est nisi ut in eas species quæ minus simplices sunt dilaberetur Poesis, Tragœdiam dico et Comœdiam. Eandem fere Græcæ poeseos seriem agnoscit Aristophanes [f]:—

> Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε, φόνων τ' ἀπέχεσθαι,
> Μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων, καὶ χρησμούς· Ἡσίοδος δὲ
> Γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους· ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος
> Ἀπὸ τοῦ τιμὴν καὶ κλέος ἔσχε, πλὴν τοῦδ' ὅτι χρήστ' ἐδίδαξε,
> Τάξεις, ἀρετὰς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν;

Hinc porro Virgilio Orpheus et Musæus rei poeticæ principes [g]. Hinc Socrates ille Platonicus de colloquiis cum Orpheo et Musæo habendis [h]. In promptu etiam est quod Lucretii verbis respondeamus [i]:—

> "Cur supera bellum Thebanum et funera Trojæ
> Non alias alii quoque res cecinere Poetæ."

Non igitur novam neque intentatam rem aggressus est Homerus, neque suo duce et magistro caruit.

[f] Βατ. 1,032.
[g] *Æn.*, l. vi.
[h] Vid. *Plat. Apolog. Socratis.*
[i] Lib. v. 327.

Licuit certe ab aliis spiritum et vim Poeticam excipere; credibile est etiam ex usu et studio Vatum orationi accrevisse colorem quendam et stylum qui huic rei conveniret; illud etiam jam innotuit nusquam felicius versari Poesin quam in moribus et fortunis hominum, nec vero non intellexerunt quantam vim habeat res Poetica in castigandis et effingendis moribus. Vatis certe custodiæ Clytæmnæstram suam commendavit Agamemnon[k]:—

> Πὰρ δ' ἄρ' ἔην καὶ ἀοιδὸς ἀνὴρ, ᾧ πόλλ' ἐπέτελλεν
> Ἀτρείδης Τροίηνδε κιὼν εἴρυσθαι ἄκοιτιν.

Eadem de Penelope narratur fabula[l]. Quid in suis carminibus Vates isti efficerint, non nisi ex conjectura dicendum est. Crediderim tamen pro istorum temporum ratione rudem et incomptam Musam excoluisse sed grandiloquam sed honestam et simplicem. Vidit itaque Homerus nondum absolutam esse artem suam, posse illam non tantum in singulis historiis et in singulorum laudibus immorari sed eorum seriem et ordinem et varia hominum inter se commercia ambitu suo complecti, posse illam componi non præsentis oblectationis gratia, sed in perpetuum vitæ usum, *κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν*[m]: nam Epicæ quidem poeseos quæ vere ita dicitur, quæ justæ sit magnitudinis et justo partium numero apti inter se connexarum constet, ante Homerum nulla est suspicio. Suorum igitur temporum studia ea erant quæ tantum ingenium alerent et exili apparatu instruerent, tum autem id quod maximum est in sua

[k] *Od.* Γ. 268; vid. *Eustathii Comment. in locum, et Strab.*, l. i.
[l] *Eustath. in Odyss.* Γ. 267.
[m] *Thuc.*, l. i. c. 22.

spatia et in suam artem deducerent, simplicem jam tum et incorruptam, quæ cum nondum legibus adstricta erat, nondum sedulo ad normam efficta, neque fræna injecit majora animo meditanti, neque intra angustos limites conclusit.

PRÆLECTIO OCTAVA.

QUÆ de Græcorum poesi supra disputata sunt, ad cæteras etiam artes quodammodo spectant. Etenim ea est humani ingenii indoles, ut non facile in una arte conquiescat, ubi semel vires suas experta fuerit, et ex ea caligine, qua vitæ civilis initia obruuntur, sese explicaverit. Re igitur semel tentata, aliæ alias subsequuntur artes, neque initiis suis valde disjunctæ, neque progressu dispares, quod quidem nemo mirabitur qui illud in animo habeat, omnes eas quæ ingenuæ vocantur, ex imitandi facultate et amore originem ducere. Hæc adeo si vera sint, nobis jam de Homerica ætate agentibus in unius Poeseos historia non est subsistendum. Nec vero alienam rem tractamus, si Picturæ etiam, Sculpturæ, et cæterarum primordia perscrutemur; non enim frustra sunt, quæ de societate artium a veteribus tradita habemus, neque illæ adeo suis terminis septæ tenentur, ut non mutuo sibi adjumento sint et subsidio. Ac primum quidem in hoc facile omnes consentiunt, ut illius quod pulchrum et honestum est sensum excitent et in melius componant; neque ullum omnino locum habent, neque alicubi sibi receptum quærunt, nisi ubi animo accesserit elegantia et nitor. Cum vero suus cuique honos est, et sua seorsim venustas, ea non tam in singulis diversa quam in universis eadem est. Ex omni

enim parte sibi constat, et ubique eadem est veritatis norma. Adeo non exilem hisce artibus laudem tribuit Horatius, elegans certe earum spectator, cum illas non ex partibus singulis sed ex earum compage et totius operis summa æstimandas esse censet [a] :—

"Æmilium circa ludum faber imus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis summa quia ponere totum
Nesciet."

Itaque neque ipse neque magister ejus Aristoteles recusat etiam ad Epicam et Tragicam Poesin illustrandam harum rerum opem adhibere, nec tamen mera artificii calliditate et operis nitore sese efferunt artes istæ quæ honesto titulo humaniores vocantur, sed majus quiddam affectare ausæ sunt. Eo enim, modo rite intelligantur, omnes enituntur, ut mores et affectus humanos exprimant, et ad vitæ exemplar effingant. Hinc verum sibi pretium adsciscunt, hinc præcipuam sibi laudem, et palmam primariam sperant, et ex hac tandem parte eandem jam cum Epica poesi materiem habent et in eosdem usus materiem suam confingunt. Recte igitur Socrates ille Xenophonteus pictorem suum non in eo consistere jubet ut externa corporum lineamenta, et ea quæ oculis subjiciuntur, designet, sed ut eorum ope quatenus fieri possit animi affectus depingat; *τί γάρ; ἔφη, τὸ πιθανώτατόν τε καὶ ἥδιστον καὶ φιλικώτατον καὶ ποθεινότατον καὶ ἐρασμιώτατον ἀπομιμεῖσθε τῆς ψυχῆς ἦθος* [b]. Etenim in ipso vultu, in oculis, et in corporis gestu vitæ dignitas et honestas se prodit. Hæc igitur nobis sufficiant

[a] *Horat. de Arte Poet.*, 32. [b] *Xen. Mem.*, l. iii. c. 10.

ne nimis late evagari videamur, et in hisce temporibus diutius quam par est immorari[c] :—

"Singula dum capti circumvectamur amore."

De scribendi artibus satis jam dictum est, quas quidem omnes unica complectebatur Poesis. Pedestris enim Oratio vix Herodoti ævum antecessit[d], quam certe subsecuta est scribendi in partes suas distributio.

Interea vero de illa dicendi eximia facultate quæ rem Poeticam tam propinqua cognatione attingit, pauca subtexenda esse arbitror, non eo quidem consilio ut artem quam vocant Rhetoricam Homerici fuisse ævi contendam; sed ut animos vestros si forte "quisquam sacris his sedibus frui velit" a forensi concertatione et a Sophistarum scholis ad ipsa eloquentiæ primordia et ipsa penetralia paulisper abducam. De artificio dicendi nulla est controversia, quod certe omnes fere authores Gorgiæ Leontini temporibus inventum fuisse aiunt, et ab illo Athenas transvectum. Erat autem Athenis eo tempore magna Sophistarum vis, a quibus omnia ad quæstum, ad contentionem, et ad ingenii ostentationem detorquebantur. Ab hisce igitur viris nova Rhetorice avide excepta est et exculta, unde iisdem quibus cæteræ artes sordibus inquinari, et gloriose sese efferre cœpit. Philosophi interea eos, tanquam illi Romani Censores[e], ludum impudentiæ cludere jubebant, et alia prorsus via artem hancce instituebant, ita ut nihil aliud sibi relictum esse faterentur, nisi ut Analytice causas rei et principia eruerent, ex hisce autem jam intellectis præcepta quædam congererent, et artis quasi systema et corpus

[c] *Virgil. Georg.*, l. iii. 285.

[d] Vid. *Strab.*, l. i.

[e] *Dial. de Causis Corrupt. Eloq.*

compingerent. Itaque Aristotelis Ars Rhetorica eandem ad eloquentiam rationem habet, quam ad Poesin Ars Critica; eandem ad Demosthenis, Hyperidis, et Periclis orationes quam ejusdem de re Poetica libellus ad Homeri, Sophoclis, et Euripidis opera; ipsa certe eloquentia longe recentior, quippe quæ non nisi ex ea plenam jam sui formam consecuta, et suis numeris absoluta profluxerit. Nihil igitur obstat quo minus dicendi facultas ex usu et exercitatione etiam Homericis temporibus habitum quendam et cultum assecuta sit. Nec vero eam litem moveo utrum ab oratoribus initio civitates constitutæ sint, et homines ab agresti vita in unum coacti; illud tamen statuo, civilis vitæ negotia sine hac facultate exerceri non posse, quo autem magis adaucta sint et inter se implicita eo majorem eloquentiæ locum dari; unde credibile est statim Heroicæ ætatis Græcos, quibus in omni vita tam ardens erat et inquies spiritus, hanc etiam laudem non intactam reliquisse. Erat autem Senatus in quo libere loqui concessum est; erant etiam principum virorum acerrimæ concertationes; neque imperium regis sine hac facultate tuto conservari potuit. Itaque inter personas Homericas et Nestor et Ulysses eloquentia spectabiles sunt, alter mira dicendi suavitate insignis, alter magis composita, prompta tamen et celeri, loquendi ratione [f] :—

τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητὴς,
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Nec tantum oblectationis gratia hanc artem exercebant sed ut affectus suorum tumescentes delinirent, et animos demulcerent. Atque hæc quidem

[f] *Il.* A. 247.

sub ipso statim operis sui initio Homerus, mox in secundo Iliados libro ambobus suum seorsim locum et officium distribuit. Ulysses tumultuantis populi fremitum compescit, et hoc quidem ipsum tanquam peritus dicendi artifex; hunc enim minis et increpatione aggreditur, hunc lenioribus verbis castigat, mox silentio indicto rem ipsam caute et prudenter aperit[g]:—

> Ὣς ἔφατ', Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ἀμφὶ δὲ νῆες
> Σμερδαλέον κονάβησαν ἀϋσάντων ὑπ' Ἀχαιῶν,
> Μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσσῆος θείοιο.

Sequitur grandævus Nestor qui gliscentem jam suorum spiritum promoveat et stabilem reddat. Tandem Agamemnonis authoritate res tota confirmatur[h]:—

> Ὣς ἔφατ', Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε κῦμα
> Ἀκτῇ ἐφ' ὑψηλῇ.

En rerum seriem qua nihil majus neque verius Demosthenes ipse aut Cicero excogitare potuisset! Illa etiam Ulyssis ad Achillem orâtio digna est quam excutiamus, adeo nimirum scite composita, ut neque quicquam addere aut demere possis, aut de suo loco vel exiguam particulam movere. Cum enim deliberativum dicendi genus exordio non valde indiget, paucula quædam præfatus ad ipsam rem festinat. Argumenta ipsa suo quæque ordine disponuntur; hinc ingens Achivorum periculum, mox Hectoris minæ ad suscitandum Achillem adhibentur, subjiciuntur extrema patris Pelei mandata, tandem Agamemnonis dona quæ ad placandum Achillem ultro offert plene recensentur; ne vero tam invisum nomen orationi officiat redit ad suorum la-

[g] *Il.* B. 333. [h] *Il.* B. 394.

chrymas, et istum quo Achillem prosecuturi sunt honorem, et ad ipsum Hectora dignum Achille hostem[i]:—

Εἰ δέ τοι Ἀτρείδης μὲν ἀπήχθετο κηρόθι μᾶλλον,
Αὐτὸς καὶ τοῦ δῶρα, σὺ δ' ἄλλους περ Παναχαιοὺς
Τειρομένους ἐλέαιρε κατὰ στρατόν. οἵ σε θεὸν ὣς
Τίσουσ'· ἦ γάρ κέ σφι μάλα μέγα κῦδος ἄροιο.
Νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθοι
Λύσσαν ἔχων ὀλοήν, ἐπεὶ οὔ τινά φησιν ὁμοῖον
Οἷ ἔμεναι Δαναῶν, οὓς ἐνθάδε νῆες ἔνεικαν.

Jam vero hæc non tantum honesta sunt et magnifica, sed ad exactissimam artis normam concinnata, neque in delectu argumentorum neque in collocatione vel paululum a scopo aberrat Orator. Hæc itaque et cætera quamplurima ex fabula vel ex personis Homericis eruenda sunt. Cæterum ipse Poeta sub Ulyssis persona de hac facultate non obscure loquitur, tanquam re notissima et summæ præstantiæ, et parem illi cum formæ venustate gratiam et honorem tribuit[k]:—

Ἄλλος μὲν γάρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ
Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει· οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
Τερπόμενοι λεύσσουσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
Αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν,
Ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ, θεὸν ὣς εἰσορόωσιν·

eam autem orationis securitatem—*ἀσφαλέως ἀγορεύει*—Xenophon in argumentis seligendis positam esse arbitratur, iis scilicet quorum notitiam et veritatem omnes assequuntur[l], ex Homero quidem Orationis Socraticæ principia deducens. Ex eodem loco conjectare licet Orationis gratiæ et venustati jam tum studuisse Græcos, *μορφὴν ἔπεσι στέφει*—*χάρις ἀμφιπεριστέφεται ἐπέεσσι.* Ipse etiam Poeta ora-

[i] *Il.* I. 300. [k] *Il.* Θ. 168. [l] *Xen. Mem.*, l. iv. c. 6.

tiones specie diversas agnoscit, cum Menelao austerum dicendi genus et brevitatis laudem tribuit [m]:—

> ἐπιτροχάδην ἀγόρευεν,
> Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως.

Ulyssi autem valentiorem et uberiorem eloquentiam [n]:—

> Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει
> Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
> Οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆΐ γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.
> Οὐ τότε γ' ὧδ' Ὀδυσῆος ἀγασσάμεθ' εἶδος ἰδόντες.

Ex eodem loco patet multum etiam jam tum in pronuntiatione positum fuisse. Ex Menelai autem, Ulyssis, et Nestoris eloquentia tria dicendi genera quæ apud recentiores celebrantur deducta esse volunt nonnulli [o]. Et quidem Aristotelem ex Homero exempla congessisse, ubi de affectibus disceptationem habet, nihil est quod mireris; illud autem dignum est quod animadvertas, eundem Homeri authoritate usum esse etiam in illa Rhetorices parte quæ si qua alia tota artis est, in distributione dico et ordinatione partium Orationis. Illum docuisse inquit quid in Exordio perficiendum sit [p]:—

> Δός μ' ἐς Φαίηκας φίλον ἐλθεῖν, ἠδ' ἐλεεινὸν,—

illum argumentis modum præscripsisse [q]:—

> Ὦ φίλ', ἐπεὶ τόσα εἶπες ὅσ' ἂν πεπνυμένος ἀνήρ.

Rhetoricen itaque nihil moror, sed eloquentiam neque insulsam neque artificio prorsus carentem jam tum floruisse satis constat. Et quidem video Ciceronem mecum ita sensisse, "nec tamen dubito quin habuerit vim magnam semper Oratio; neque enim

[m] *Il.* Γ. 213.
[n] Ibid. 221.
[o] *A. Gell. Noct. Att.*, l. vii. c. 4.
[p] *Aristot. Rhet.*, l. iii. c. 14.
[q] Ibid., c. 17.

jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus et Nestori (quorum alterum vim habere voluit alterum suavitatem) nisi jam tum esset honos eloquentiæ[r]." Mox iisdem de causis Poetam ipsum plane Oratorem appellat. Hæc igitur omnia ita accipi velim, ut ex altera parte ea quæ de moribus et humanitate vitæ supra dicta sunt confirment et illustrent, civilem enim vitam subsequitur et ei famulatur eloquentia, ex altera autem præsenti instituto ita sufficiant, tanquam indicia crescentis jam istius quæ ingenuarum artium propria est elegantiæ et venustatis.

Ad cæteras transeo, et quidem de Musica pauca restant dicenda, quæ scilicet nondum a re poetica disjuncta erat, sed eadem fere principia et parem progressum habuit. Itaque Heroicæ ætatis Vates artem ex utraque compositam exercebat. Dubitari etiam potest utrum Poesin nudam et sine concentu Musico agnoverint; nedum ab ipsis versibus numeros et Harmoniam Musicam semovere didicerant. Hinc recentiori ævo Aristoteles in Politicis, ubi de hisce artibus quatenus juventuti instituendæ et affectibus commovendis inserviunt verba facit, non de utraque separatim, sed de illis conjunctim sententiam fert; et exempli loco antiquos eos et memorabiles Olympi cantus adducit. Nec vero illi in Poeticis fas erat rem Musicam omnino silentio prætermittere. Quid autem in hac re profecerint, quænam illa Heroici Vatis Musica, frustra quærimus, cum etiam longe recentioris hujusce artis status tenuis admodum ad nos notitia pervenerit. Crediderim tamen simplicem fuisse et inornatam, et affectibus excitandis

[r] *M. T. Cic.*, *Brutus*, c. 10.

præcipue accommodatam; illud constat, non defuisse utramque instrumentorum speciem, neque tibiam, quæ spiritu inflatur, neque citharam, quæ chordis constat; ex quibus ipsis instrumentis Græcorum Musica in species suas divisa est, quarum alteram *αὐλητικὴν* vocabant, alteram *κιθαριστικὴν*.

Ars Picturæ, quæ vere ita dicitur, qualem Apelles, Zeuxis et Polygnotus exercebant, tantam antiquitatem non attingit. Homerus certe de illa altum ubique silentium agit; et de illa quidem arte, qua nulla rei Poeticæ propior est, qua nulla illustrior, neque ea materia quæ descriptionibus Poeticis inserviat uberior; ne vero minus firmum videatur argumentum ex scriptoris alicujus silentio deductum, Plinii auctoritatem adjiciam, qui illam Iliacis temporibus nullam fuisse memorat[s], quin et spreta Ægyptiorum vana prædicatione, quam vocat, artem hancce ab Ardice Corinthio et Telephane Sicyonio inventam fuisse ait; Cleophantum Corinthium omnium primum opera sua coloribus imbuisse. Vixit autem Cleophantus Cypselo Corinthi regnante; eodem fere tempore, quo Demaratus Tarquinii regis pater in Italiam profugit. Hæc itaque Ars ne fama quidem ad Heroica tempora pertingit; nec vero Ardicis et Telephanis inventa digna sunt in quibus hæreas, quibus scilicet mos erat earum rerum quas pingerent nomina adscribere[t], quos tamen ipsos Cleophanti ætatem non magno intervallo antecessisse ex Plinii verbis colligere licet. Imperfectam autem fuisse ante Phidiam picturæ artem patet eodem Plinio teste[u].

[s] *Plin. Hist. Nat.*, l. xxxv. c. 3.

[t] *Ælianus*, l. x. c. 10.

[u] *Plin. Hist. Nat.*, l. xxxvi.

De re statuaria, sculptura, et arte plastica alia sententia ferenda est; ex hac parte fabulæ certe non desunt. Etenim de Dædalo mira narrat fere omnis antiquitas; statuas ejus vita et motu donatas esse; quæ tamen fabulis involuta cum sint, non prorsus aspernanda censeo; fuisse etiam imagines Deorum vel antiquissimis temporibus satis patet. De effigie Minervæ Homerus [x]:—

Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο.

Quin et illi Alcinoi argentei et aurei canes [y]:—

Ἀθανάτοι καὶ ἀγήρως ἤματα πάντα·

et ejusdem pueri ex auro conficti, et ipsius Vulcani ancillæ [z]:—

Χρύσειαι, ζωῇσι νεήνισιν εἰοικυῖαι.
Τῇς ἐν μὲν νόος ἐστὶ μετὰ φρεσὶν, ἐν δὲ καὶ αὐδὴ
Καὶ σθένος, ἀθανάτων δὲ θεῶν ἄπο ἔργα ἴσασιν·

fabulæ sunt ætatis rem novam mirantis et cum stupore intuentis, quæ tamen re nondum inventa ab ipso Poeta excogitari non potuissent; neque enim frequenter hæc portenta apud Homerum invenias sed sparsim et haudquaquam temere interposita. Quod si Historicorum testimoniis fides adhibenda sit, vel nihil omnino vel parum in hac re progressi sunt Græci; "Marmore scalpendo," inquit Plinius, "primi inclaruerunt Dipœnus et Scyllis Cretenses, Olympiade circiter L. [a]," (qui igitur non nisi metaphorice, ut fit nonnunquam, Dædali discipuli vocantur [b]); quanquam et ipse dubiam quandam et ob-

c. 4; alio in loco, l. xxxv. c. 36, ad Candantem vel ætatem Candante priorem rem referre videtur, sed argumenti nostri non interest.

[x] *Il.* Z. 92.

[y] *Od.* H. 94.

[z] *Il.* Σ. 418.

[a] *Plin. Hist. Nat.*, l. xxxvi. c. 4; vid. etiam *Clem. Alex.*

[b] *Pausan.*, l. ii. c. 15.

scuram artis originem in Chio insula etiam ante eorum tempora agnoscit. Learchus Rheginus eorum discipulus effigiem Jovis ex ære primus confecit membris seorsim excusis [c]. Ejusdem authoris testimonio Rhæcus et Theodorus Samii primi ex ære fuso imagines conflaverunt Polycratis Samii temporibus [d]. Theodorum et Teleclem Rhæci filios artem hancce ab Ægypto mutuatos esse refert Diodorus [e]. Theodorus etiam primus ferrum fundere et ex eo signa conflare docuit [f]. Insignem illum Polycratis annulum ejusdem artificis manibus elaboratum esse tradunt [g]; eundem Crœsi temporibus adjudicat Herodotus [h]. Theodorum porro et Rhæcum artem plasticam, quam sculpturæ, picturæ, et statuariæ matrem appellant nonnulli [i], invenisse refert Plinius, multo ante Bacchiadas Corintho pulsos [k], et Corinthi artem suam exercuisse; alios ejusdem rei inventionem Dibutadi Sicyonio tribuisse idem Plinius auctor est [l]. Ex Corintho autem in Italiam et Etruriam hæc ars transvecta est ab iis qui Demarati fortunas secuti sunt. Nec vero multum inter se discrepant istæ quas memoravi sententiæ. Iisdem fere temporibus uno ore omnes artis hujusce originem adjudicant, omnes etiam in eo consentiunt vel in insula Samo vel apud Corinthum et Sicyonem eam præcipue floruisse, et ab istis officinis in alias urbes propagatam fuisse. Hactenus tamen in Deorum fere imaginibus substiterat, neque ante Phidiæ tempora absoluta est

[c] *Pausan.*, l. iii. c. 17.

[d] Ibid., l. viii. c. 14; *Olymp.* 60 circiter.

[e] *Diod. Sic.*, l. i. c. ult.

[f] *Pausan.*, l. viii. c. 12.

[g] Ibid., c. 14; *Herod.*, l. iii. c. 45.

[h] *Herod.*, l. i. c. 51.

[i] *Plin. Hist. Nat.*, l. xxxv. c. 46.

[k] Ætas non convenit si Vulgat. Chron. sequaris. Vid. *Newt. Chron.*, p. 142.

[l] *Plin. Hist. Nat.*, l. xxxv. c. 43.

res statuaria[m], neque vulgo ad effigies hominum ante eum transiit. Olympicorum victorum statuas dicari solitas esse refert Plinius, mox subjicit perquam illustri sententia: "Athenienses nescio an omnium primi Harmodio et Aristogitoni tyrannicidis publice posuerint statuas[n]." Idem tamen alibi testatus est Sicyonem, Argos, Cleonas, et Ambraciam Dipœni operibus refertas esse[o]. Athenagoras hujusce artis originem diserte exponit, totam rem et picturam et statuariam Homero recentiorem esse ait, insulam autem Samon, Corinthum, et Sicyonem primis inventoribus nobilitatas esse; inventorum nomiua aliter apud eum quam apud cæteros traduntur. Theodorum quendam sed Milesium primis proximum esse ait; quæ de Corinthia virgine et ejus patre narrat eadem sunt cum illis quæ de Dibutade Sicyonio et ejus filia Plinius[p]. A Dipœno igitur et Scyllide longo ordine et perpetua serie subsequuntur artificum nomina; inter eos et Dædalum ne unum quidem memoriæ proditum invenio. Totum itaque argumentum ita se habere statuo. Deorum signis nulla antiquitas caruit, sed in illa artium omnium penuria vel rudem lapidem, *ἄργον λίθον*, vel arboris truncum et lignum omni forma carens adorabant. Multa utriusque generis recenset Pausanias, illud de iis usurpans, *ἀρχαῖόν τι, καὶ οὐ σὺν τέχνῃ πεποιημένον*[q]. De priori genere hæc habet, *τὰ δὲ ἔτι*

[m] *Plin. Hist. Nat.*, l. xxxiv. c. 4; l. xxxvi. c. 5.

[n] Ibid., l. xxxiv. c. 4.

[o] Ibid , l. xxxvi. c. 4.

[p] *Athenag. Legat. pro Christian.*, p. 65. ed. Oxon.

[q] πρὶν γ' οὖν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ· γράφει γ' οὖν ὁ τὴν Φορωνίδα ποίησας,

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης, κ.τ.λ.

Clem. Alex. Strom., l. i. c. 24. *Pausan.*, l. iii. c. 19; vid.

παλαίτερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι [r]. Lapides autem isti nonnunquam quadrangulari figura erant, ut patet ex insigni monumento quod Pharis Achaiæ oppido suis temporibus extitit. Similia antiquissimæ ætatis monumenta in Herculis delubro apud Hyettum Bœotiæ oppidum [s], et in Cupidinis apud Thespias commemorat [t]. Neque ex alia origine apud Romanos mos invaluit per Jovem Lapidem jurandi [u], quo jurejurando nihil habebatur sanctius. Signorum ligneorum quæ ξόανα vocantur par fama est. Dianæ Icariæ signum erat ξύλον οὐκ εἰργασμένον [x]. Junonis Cithæroniæ πρέμνον ἐκκεκομμένον. Junonis Samiæ σάνις. Castoris et Pollucis signa δόκανα vocantur, quod ex meris trabibus constabant [y]. Latonæ in insula Delo statua erat ἄγαλμα ξύλινον ἄμορφον [z]. Etiam ipsa materia et arborum species ex quibus conficiebantur non desunt [a]. Tandem extremas trunci partes ad similitudinem pedum et manuum effingebant, atque ita lento progressu ad humani corporis effigiem deventum est. Etiam medio in cursu nonnunquam exploranda res est. Antiquum Amyclis simulachrum describit Pausanias [b], cui caput manus et pedes arte elaborati erant, reliqua pars columnæ formam habuit. Huc itaque ante bellum Trojanum rem deduxerat Dædalus, vel

etiam *Clem. Alex. Protrept.*, c. iv.

[r] *Pausan.*, l. vii. c. 22.

[s] Ibid., l. ix. c. 24.

[t] Ibid., l. ix. c. 27.

[u] *A. Gell. Noct. Att.*, l. i. c. 21; *Cic. Epist. ad Treb.*, l. vii. ep. 12.

[x] *Clem. Alex. Str.*, 14; *Protrept*, c. 4. De Junonis Samiæ Statua vid. *Epigramma Callimachi ex Eusebio Præpar.*, iii. 8; *a Toupio Emend. Cur. Noviss. in Suidam*, p. 92, Οὔπω Σμίλιδος ἔργον, κ.τ.λ.

[y] *Eustath. ad Il.* p. 744.

[z] *Athen.*, l. xiv.

[a] *Pausan.*, l. viii. c. 17.

[b] Ibid., l. iii. c. 19.

quicunque demum fuerint quos Dædali nomine fabulosa ætas designari voluit. Inventa Dædali et fabularum de eo origines tam diserte apud veteres enarrantur ut de iis dubitari non possit [c] :—

Τὰ δὲ Δαιδάλεια φασὶ κινεῖσθαι τοιουτοτρόπως,
Τοὺς ἀνδριάντας πρότερον πρὸ χρόνων τοῦ Δαιδάλου
Ἐδημιούργουν ἄχειρας, ἄποδας, ἀομμάτους,
Πρῶτος δ' ὁ Δαίδαλος αὐτὸς διεῖλε χεῖρας, πόδας,
Δακτύλους διηρμόσατο, καὶ βλέφαρα καὶ τἄλλα
Ὅθεν ὁ μῦθος πέπτωκε κινεῖσθαι τὰ Δαιδάλου.

Eadem fere habet Diodorus [d]. Ligneas autem adhuc fuisse Dædali statuas patet ex illo Cratini poetæ Comici quo fabulas Dædaleas facete inridet. Etenim percontanti cuidam, quænam statua sublata est, responsum subjicitur [e] :—

Οὐδαμῶς ξύλινος ἐκεῖνος, ἀλλὰ χαλκοῦς ὢν ἀπέδρα,
Πότερον Δαιδάλειος ἦν, ἤ τις ἔκλεψεν αὐτόν·

et ex illo etiam Platonis Comici [f] :—

Ἑρμῆς ἔγωγε· Δαιδάλου φωνὴν ἔχων
Ξύλινος βαδίζων αὐτομάτως ἐλήλυθα.

Hactenus igitur in Heroicis temporibus progressi sunt, nec nisi longo post intervallo ad signa ex marmore aut ære conflata deventum est. Illud etiam dignum est quod animadvertas inter Dipœni et Scyllidis opera quæ recenset Pausanias fere omnia ex ligno conficta esse. Tandem aliquando Phidiæ opera et Periclis patrocinio consummata res est, et eodem quo Poetice deducta, ut personas et mores hominum adumbrare aggrediatur.

Sed in Homerica ætate (ut plerumque fit) medias inter tenebras lucis aliquid effulget; et si illud con-

[c] *Tzetzes, Chil.*, 1—19. [d] *Diod. Sicul.*, l. iv. c. 76.
[e] *Apud Schol. in Eurip. Her.*, v. 838. [f] Apud eundem.

cedamus picturam ignotam fuisse, et rem statuariam imperfectam, artis tamen Graphicæ rudimenta habes, neque ipsum Homerum latuerunt vel principia ex quibus pendet, vel finis quo collimat; ad quod argumentum comprobandum unum quidem sed splendidissimum exemplum adducam, nobile illud dico Achillis scutum; qui quidem locus totus evolvendus est et perdiscendus, si veram de hac re sententiam ferre velis, dignus profecto qui nunquam de manibus demittatur. Facile ex illo discas in delineandi et cælandi arte non mediocriter versatos fuisse Græcos, defuerint licet illis tabulæ coloribus variatæ et Parii marmoris signa. Nec vero in extremis corporis lineamentis designandis res substiterat, sed et vultum et gestum hominis intra suam artem esse voluerunt, neque in singulis et male consociatis corporibus commorati sunt, sed personas et cœtus hominum ita inter se componere noverunt, ut totum ex legitimo partium numero confectum absolverent; noverunt etiam ita rem oculis subjicere, ut vita et motu donata esse videretur, nec tantum sedatiora pacis munia attingere, sed belli etiam tumultu et fervore omnia miscere [g]:—

'Εν δὲ ἔρις, ἐν δὲ κυδοιμὸς ὁμίλεον, ἐν δ' ὀλοὴ κὴρ
"Αλλον ζωὸν ἔχουσα νεούτατον ἄλλον ἄουτον,
"Αλλον τεθνηῶτα κατὰ μόθον ἕλκε ποδοῖιν·
Εἷμα δ' ἔχ' ἀμφ' ὤμοισι δαφοινεὸν αἵματι φωτῶν.
'Ωμίλευν δ' ὥς τε ζωοὶ βροτοὶ, ἠδ' ἐμάχοντο,
Νεκρούς τ' ἀλλήλων ἔρυον κατατεθνηῶτας.

Lucem denique et umbram ita inter se commiscere didicerant, ut colores quodammodo inducere viderentur, et ipsius picturæ laudem exæquare [h]:—

[g] *Il.* Σ. 535.

[h] *Il.* Σ. 548, 561.

Ἡ δὲ μελαίνετ' ὄπισθεν, ἀρηρομένῃ δὲ ἐῴκει
Χρυσείη περ ἐοῦσα· τὸ δὴ περὶ θαῦμα τέτυκτο·
Ἐν δ' ἐτίθει σταφυλῇσι μέγα βρίθουσαν ἀλωὴν
Καλὴν χρυσείην· μέλανες δ' ἀνὰ βότρυες ἦσαν·

sed quod maximum est, illud quoque assecuti sunt, ut mores, affectus, et res gestas hominum adumbrarent. Totum fere vitæ humanæ ambitum in illa scuti descriptione perlustrat Poeta; hinc vitæ civilis ratio et judicia, hinc belli tumultus depinguntur, quin et agrestis vitæ labores, et ejusdem otia et oblectamenta, ita ut jam tum nihil fere recusaverit ars hæcce neque cuivis imitationi impar esset; nec vero hæc Poeta ipse animo excogitare et præcipere potuit; non enim eo usque evehitur mens humana, ut artem nondum inventâm semel et uno intuitu complectatur, neque semina sub terris abdita uno impetu et nisu ad fructum exsurgunt, neque illud solenne Homero est extra suorum temporum vitam et fabulas cogitatione evagari; sed utcumque magna hæc sint, non defuit tamen exemplar unde desumerentur. Possim eandem rem minoribus argumentis confirmare, ex metallorum inter se mixtura et conglutinatione[i], ex usu colorum ornatus gratia[k], ex illis etiam mulierum telis acu pictis, etenim ipsa Trojani belli prælia acu pingebat Helena[l]:—

πολέας δ' ἐνέπασσεν ἀέθλους
Τρώων θ' ἱπποδάμων, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων·

et Andromache[m]:—

ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε.

Hæc enim omnia saltem picturæ rudimenta appellare fas sit.

[i] *Il.* Σ. 474.
[k] *Il.* Δ. 141, &c.
[l] *Il.* Γ. 126.
[m] *Il.* Χ. 441. Addas Ulyssis Fibulam, *Od.* Τ. 226, &c.

Argumenti igitur nostri hunc finem esse velim, ut satis tuto affirmandum sit non defuisse Heroicæ ætatis Græcis cæterarum artium initia; propenso etiam in illas jam tum fuisse animo et arrecto, ita ut hinc demum petenda esse vitæ oblectamenta et morum elegantiam arbitrarentur; fortasse etiam majorem earum et veriorem usum complexi sunt et eas ad vitam instituendam et ad ægrimoniam sublevandam adhibere cœperunt.

"Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno." Etenim Achillem et cæteros Heroicorum temporum principes rem Musicam a præceptore suo Chirone didicisse fama est, nec ab hac sententia Homeri testimonium abludit, cujus quidem Achilles cithara sese oblectabatur. Quæ certe omnia si vera sint, quædam ex hac etiam parte Homero subsidia ad manum fuisse credibile est, ea dico quæ ex liberalis disciplinæ notitia et contemplatione oriuntur, et ea etiam quæ ex vitæ statu hisce artibus exculto.

PRÆLECTIO NONA.

PARI quidem laude et iisdem fere temporibus in quibus præcipuus artium est honos Scientiæ sese efferunt. Nec vero earum eadem est ratio, neque initiis suis eandem antiquitatem attingunt. Facili enim et proclivi studio ad imitandi amorem proripiuntur homines, neque difficilis est quadantenus istius facultatis usus, qua imbuti sunt tanquam primo naturæ dono. Jam ab ipsis incunabulis imitari norunt pueri, nec inscite quidem pro ista ætate. *Φρόνησιν δὲ καὶ δόξας ἀληθεῖς βεβαιοῦν, εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο*[a]. Sicut igitur hanc facultatem ratio subsequitur, et ejus ope sensim accrescit, ita artes ipsas subsequitur Scientiarum origo et progressus; sero enim assequuntur homines perpetuam illam et assiduam intentionem animi, quæ Scientiam, quam vocamus, fingere et complecti potest. Longo usu edocti, longa meditatione et exercitatione eo demum perveniunt. Quæ si vera sint, statim jam Homericæ ætatis Græcos parum in hac re profecisse credibile est — nec tamen prorsus desunt etiam in antiquissimis temporibus Scientiarum vestigia.

Ex Ægypto eas in Græciam transvectas fuisse constans est fama—nec quidem negaverim colonias

[a] *Plat. de Legg.*, l. 2.

istas quæ ab Oriente et Ægypto in Græciam transierunt in omni vita provectiores fuisse quam ii qui in illis regionibus primi insederunt, et ipsa illa constans fama indicio est Græcorum doctrinam non male ad istos authores et ad ista tempora referri posse; sed quænam fuerit tanta illa Ægyptiorum doctrina dubitari potest. Non enim ex litera interpretandæ sunt rudis et indoctæ ætatis voces quæ rem novam plerumque præ stupore in majus effert; sed hæc omnia pro temporibus suis accipienda sunt et dijudicanda. Astronomia enim et Geometria pro rerum statu, pro hominum ingeniis et doctrina, alio atque alio sensu usurpantur; neque primo vocabulorum usu earum altera totum rerum cœlestium ambitum complectebatur, neque altera omnes quotquot sunt magnitudinis affectus; quæ si intellexerint authores, minor fortasse relictus foret dubitandi locus. Quod si Thales[b], Plato[c], Pythagoras[d], et Eudoxus[e] Astronomiam et Geometriam suam ab Ægypto mutuasse dicuntur, et Ægyptiorum sacerdotum discipuli fuisse perhibentur[f], quæ tamen ab illis didicerint frustra exquiras; quibus præceptis imbuti fuerint, quæ Theoremata, quam Scientiarum rationem in patriam suam retulerint, nusquam memoratur. In Ægyptum commigrasse non est quod mireris, cum illa certe regio et antiquitate sua et legibus, et vitæ

[b] *Diog. Laert. in Vit. Thal.; Proclus in Euclid.*, l. 2.

[c] *Diog. Laert. in Vit. Plat.; Diod. Sic.*, l. 1. c. 96.

[d] *Diog. Laert. in Vit. Pythag.; Proclus in Euclid.*, l. 2; *Diod. Sic.*, l. 1. c. 96.

[e] *Sen. Quæst. Nat.*, l. 7. c. 3; *Diod. Sic.*, l. 1. c. 96; *Strab.*, l. 17. p. 1159.

[f] Isocrates in ipso illo loco ubi Pythagoras ab Ægypto in Græciam philosophiam invexisse ait, at eum præcipue reportasse rei sacræ ceremonias fatetur. *In Busir. Laud.*

humanitate præ cæteris omnibus emineret [g]; cum ex illa denique religionis ritus quamplurimos, et decantata ista mysteria Græci se accepisse ultro faterentur [h]. Ea autem ipsa res in sacerdotum collegiis unice consedisse eorum doctrinam non mediocrem mihi suspicionem injicit; quorum scilicet quanta erat vanitas, quantis sordibus et religionem suam et historiam de industria inquinaverunt, notissimum est; quos denique non sanæ et incorruptæ Scientiæ, sed ineptissimis fabellis operam dedisse, et ex omni parte fastui consuluisse omnes fatentur historici. Hi sunt quos vocat Moses [i] "conjectores Ægypti" qui in somniis interpretandis versabantur; quos iterum [j] "sapientes et maleficos" qui "per incantationes Ægyptiacas et arcana quædam" ignaro populo leges dabant. Iidem sunt qui a Græcis scriptoribus *ἱερεῖς καὶ ἀστρόλογοι* [k] vocantur. Tum autem religio Ægyptiorum iis portentis abundabat, quæ omni aliorum dementia majora sunt. Sed tamen Scientiarum luce perfusæ hæ tenebræ plerumque diffugiunt; male enim conveniunt fastus et veritas; neque facile inter se sociari possunt Superstitio et Scientia. Sed Historicorum testimonia excutiamus. Jam antiquissimus omnium Herodotus sacerdotes ipsos adiit; atque eo quidem consilio ut celeberrimos istos Historiæ et Doctrinæ thesauros ab iis conservatos prorsus hauriret, et in commentarios suos referret; et erat vir diligentiæ singularis nihil non exquirentis, et fidei nunquam merito suspectæ. Repor-

[g] *Patet ex sacra Scriptura, ex Strab.*, l. 15; *Diod. Sic.*, l. 1; *Herod.*, l. 2, &c.

[h] *Herod.*, l. 2; *Diod. Sic.*, l. 1; *Isocrates in Busir. Laud.*

[i] *Genes.* xli. 8.

[j] *Exod.* vii. 11.

[k] *Diod. Sic.*, l. 1. c. 96.

tavit autem non Scientiarum Theoremata, non veritatis præcepta, sed fabularum messem qualem nulla alia regio unquam protulit. Tradit vero eos annum Solarem excogitasse et ad exactissimam normam concinnasse [l]. Medicinæ insuper operam dedisse [m], et Geometriam vel potius mensurandi artem primos invenisse [n]; religionis etiam ritus et ceremonias quamplurimas in Græciam transmisisse [o]. Hæc fere Herodotus; nec vero ab eorum doctrina detrectare voluisse, nec non singula fideliter enarrasse ulla suspicionis causa est, cum ultro agnoscit magnam religionis Græcæ partem Ægyptiacæ esse originis. Eadem fere Diodorus pluribus verbis exponit, de eorum Medicina [p], Geometria et Arithmetica [q] fidenter loquitur, ex qua autem parte hisce studiis invigilabant, et quæ in singulis invenerunt desideratur. Astronomiam eorum collaudat [r]. Stellarum inter se situs et motus accurate novisse tradit, planetarum etiam motus revolubiles et stationes, quin et Ænopiden obliquum solis cursum ab illis didicisse ait [s]; sed notitiam hancce, ut ex Diodori verbis patet, in superstitionis usus referebant, in eos quos recentior ætas Astrologicos nominavit. Cometarum etiam vices non ex Scientia, ut videtur, non ex calculo eruebant, sed conjectura assequebantur; eodem scilicet more et modo quo eventus belli et fortunas rerumpublicarum prædicebant Haruspices. Strabo Ægyptiis tribuit Philosophiam et Astronomiam [t] et Geometriæ inventionem,

[l] *Herod.*, l. ii. c. 4.
[m] Ibid., c. 84.
[n] Ibid., c. 109; *Plat. in Phædro; Proclus in Euclid.*, l. 2.
[o] *Herod.*, l. ii. c. 50, &c.
[p] *Diod. Sic.*, l. i. c. 82.
[q] Ibid., c. 81.
[r] Ibid.
[s] Ibid., c. 98.
[t] *Strabo*, l. xvii. pp. 787, 816.

sacerdotes eorum vocat ὁμιλήτας τῶν βασιλέων[u], honesto quidem titulo, qui tamen iis non male delatus est, qui patriæ suæ annales leges et religionem sibi traditam adservabant, et eo nomine fortasse intimis regum conciliis adhibebantur. Eosdem iterum vocat Strabo περιττοὺς κατὰ τὴν ἐπιστήμην τῶν οὐρανίων, μυστικοὺς δὲ καὶ δυσμεταδότους[x]. Omnes igitur uno ore de Philosophia eorum et scientia in genere loquuntur; parcius autem quam cæteri Herodotus, cujus authoritas in hac re maxima est; quid autem in Philosophia, in Geometria, et Astronomia profecerint, quæ Theoremata invenerint, singulatim vix quisquam exponit[y]. De Geometria nullus controversiæ locus est, si quidem verum sit, Pythagoram Propositiones Euclidis XXXII.[z] et XLVII.[a] libri primi invenisse. Thaletem autem Milesium primum descripsisse in semicirculo triangulum rectangulum[b].

Fuerint igitur Ægyptii pro illis temporibus sapientissimi mortalium[c], in vita civili et politica quod et ipse fatetur Herodotus suorum æqualium facile principes, fuerint si placet philosophiæ dediti; sed in ipso philosophiæ limine substitisse videntur. Ex usu et experientia scientiam suam omnem con-

[u] *Strabo*, l. xvii. p. 787.

[x] Ibid., p. 806.

[y] Ait quidem Aristoteles Sacerdotes Ægyptios tanquam vitæ otiosæ deditos artes Mathematicas excogitasse. *Metaphys.*, l. i. c. 1. Quid autem intelligat per artes Mathematicas, aut in quantum eas excogitaverint Ægyptii non exponit. In Politicis prætermittit alia sed Legum et Civilis imperii antiquitus eos peritos esse affirmat. οὗτοι γὰρ ἀρχαιότατοι δοκοῦσιν εἶναι, νόμων δὲ τετυχήκασι καὶ τάξεως πολιτικῆς, l. vii. c. 10.

[z] *Proclus in Locum.*

[a] *Diog. Laert. in Vit. Pythag.*; *Proclus in Locum*; *Vitruv.*, l. ix. c. 2; *Athenæus*, l. x. c. 4, *ex Apollodoro Arithmetico.*

[b] *Diog. Laert. in Vit. Thal.*

[c] *Diod. Sic.*, &c.

gessisse crediderim. Hinc Geometriam vel mensurandi artem eo usque callebant ut agros viritim distribuere possent. Hunc enim in finem omnium authorum consensu Geometria ab Ægyptiis inventa est. Hoc sensu quinque siderum motus ab Ægypto Eudoxus in Græciam transtulit[d]; ex astrorum etenim assidua observatione eorum numerum et situs didicerant; leges etiam quo diurnus siderum motus et Planetarum etiam cursus diriguntur, ex usu et experientia aliquatenus attigisse potuissent, ἐκ πολλοῦ χρόνου παρατηρήσεως γεγενημένης[e]. Eo etiam in hac parte progressi sunt, ut præclarissimum illud anni Solaris inventum optimo jure sibi vindicarent[f]. Pari ratione medicinam quandam usu edocti instituerunt. Adeo ex omni parte præcepta in vitam utilia usu comperta congessissent. Et hæc quidem est illa Ægyptiorum Philosophia, hinc certe explicari possunt ea quæ a veteribus allata sunt exempla. Hanc autem Theorematum compagem quam nunc vocamus Scientiam novisse neque veterum testimoniis neque populi ingenio et moribus consentaneum est.

Nec vero soli apud veteres Ægyptii celebrantur. Arithmeticam, qua nulla ars certius et utilius vitæ civili famulatur, a Phœnicia ad alias regiones transiisse aiunt. Ex hac enim omnis mercatura pendet[g]. Eosdem præ navigandi studio Astronomiæ operam dedisse fama est. Chaldæi etiam, quibus plana et aperta regio et sine ullo Agricolæ labore rerum omnium ferax, astrorum situs et motus diligenter

[d] *Sen. Quæst. Nat.*, l. vii. c. 3.

[e] *Diod. Sic.*, l. i. c. 81.

[f] *Herodotus*, l. ii.; *Strabo*, l. xvii. p. 806.

[g] *Strabo*, l. xvi. p. 757.

observasse traduntur[h]. Mercatoribus igitur Arithmeticam, pastoribus et nautis Astronomiam debemus, adeo lente ex usu, prout cuique suus vitæ status occasionem dedit, harum rerum notitiam attigerunt homines.

Ex his igitur antiquioris ævi inventis conflanda erat Græcorum doctrina et Philosophia. Nec vero hæc omnia statim in promptu erant; non enim facile ii qui rerum novarum studio aut errandi libidine extra patriæ fines evagati sunt, omnem suorum temporum doctrinam secum transferre potuerunt. Parce et ex intervallo colligenda erant singula, prout magis frequenti commercio ab Oriente in Græciam transitum est; tum autem in ipsa Græcia hæc inventa sparsim consedisse credibile est; aliæ enim alias regiones occupaverunt coloniæ, neque eodem tempore omnes transvectæ sunt, et inter ipsos Græcos vel exiguum vel nullum erat ante Homericam ætatem commercium unde Homerum ipsum ex Ægypto harum rerum notitiam petiisse fama est[i]. Adeo tenuis erat et parum confirmata istorum temporum scientia.

Sed ut soleo ad Poetam ipsum redeo cujus verba si cum cæterorum authorum testimoniis conferamus non erit difficilis in hac re conjectura.

Geometriæ igitur ne vestigium quidem reperio; quæ si in Ægypto inventa fuerit, si in Græciam transvecta, recentiori tamen ætate concinnitatem suam et elegantiam assecuta est, et in tantam magnitudinem accrevit. Mensurandi artem populo qui in civili vita non mediocres progressus fecerat, facile concedo. Geometriæ scientiam philosophis

[h] *Herod.*, l. ii. c. 109; *Diod. Sic.*, l. ii. c. 29, &c.
[i] *Diod. Sic.*, l. i. c. 96.

omnino trado. Πυθαγόρας τὴν περὶ αὐτὴν φιλοσοφίαν εἰς σχῆμα παιδείας ἐλευθέρου μετέστησεν, ἄνωθεν τὰς ἀρχὰς αὐτῆς ἐπισκοπούμενος [k].

In hoc igitur Geometriæ statu necesse est Astronomiam etiam ipsam exilem fuisse. Nec vero temere hanc artem sibi vindicant antiqui. Sphæram etenim vel Chironis et Musæi opera inventam habuerunt, vel ex remotiori antiquitate petitam, Argonautica certe expeditione non recentiorem. Ex eadem fere Sphæra quam nunc habemus proveniunt illa Homeri :—

. . . τὰ τείρεα πάντα, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται,
Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε τό τε σθένος Ὠρίωνος
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
Ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει,
Οἴη τ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο [l].

En signorum non tantum nomina, sed eam descriptionem quam nemo non lubens agnoscit. Eandem Sphæram iterum respicit :—

Παμφαίνονθ' ὥς ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίοιο,
Ὅς ῥα τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ·
Ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι·
Λαμπρότατος μὲν ὅδ' ἐστὶ, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι [m].

Hæc autem Astronomia non tantum signa cælestia observabat, sed vitæ etiam communi consuluit. Hujus ope maria transibat nauta :—

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως
Ἥμενος· οὐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε
Πληϊάδας τ' ἐσορῶντι καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην [n].

[k] *Proclus in Euclid.*, l. ii. p. 19.

[l] *Il.* Σ. 485.

[m] *Il.* X. 26.

[n] *Odyss.* E. 270.

Hujus ope serendi et arandi tempora dispertiebat agricola :—

Πληϊάδων Ἀτλαγένεων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσσομενάων [o].

sed totam hanc Astronomiam ex mera experientia accrevisse nullus dubito. Geometria enim sublata Scientiæ locum vix habet Astronomia utcunque utilia in vitam præcepta præstare possit. Et mea quidem sententia illa Ægyptiorum et Chaldæorum Astronomia ex istiusmodi præceptis unice constabat, ex ampla quidem istorum congerie sedulo comparata; nulla enim ars præceptorum in vitam utilium uberiorem copiam præstat, quæ etiam præcepta facile apud rudem et ignarum populum mirificæ Scientiæ locum habere possunt. Annum in partes suas nobili sane invento distribuerant et accurate ordinaverant Ægyptii, quam distributionem loquendi ratio ab Homero usurpata sæpenumero mihi respicere videtur :—

Ἡμῖν δ' εἴνατός ἐστι περιτροπέων ἐνιαυτὸς
Ἐνθάδε μιμνόντεσσι [p].

Ἀλλ' ὅτε δὴ μῆνές τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο
Ἂψ περιτελλομένου ἔτεος, καὶ ἐπήλυθον ὧραι [q].

Sunt etiam Arithmeticæ artis quatenus mercaturæ et vitæ civili inservit vestigia. Eandem numerandi rationem per series Arithmeticas quæ apud recentiores usu venit usurpabant Græci, ita ut prima series in numero decem terminetur et sic deinceps progrediatur usque ad myriadas. In Odyssea prima habes artis rudimenta. Phocas suas Proteus per series numerat, quarum tamen singula

[o] *Hesiod.*, Ε. καὶ Η., l. ii. 1. [p] *Il.* Β. 295. [q] *Odyss.* Λ. 293.

series non decem unitates sed quinque complectitur, numerum scilicet digitorum unius manus:—

Φώκας μέν τοι πρῶτον ἀριθμήσει καὶ ἔπεισιν,
Αὐτὰρ ἐπὴν πάσας πεμπάσσεται [r].

Pari ratione Medicinam excolebant Græci, non ex scientia sed ex usu peritiam quandam in hac re assecuti. Vulgo quidem laudatur Poetæ multiplex scientia, quod ipsa inter pugnas vulnera accurate depingit, quod non cædem, et confusæ stragis acervos coram oculis sistit, sed ipsum teli ictum, impetum et progressum, ipsum denique mortis modum; quod non ignoravit quænam vulnera leviore sint, quænam graviora, quænam etiam lethalia. Miror sane hominis diligentiam, miror Poetæ excellentiam; nec vero aliud in hac re quam in cæteris præstitit; sed humani corporis partes et structuram eadem qua cætera mentis vi et acumine perlustravit, internas etiam partes non omisit quantum fieri potuit Anatomia nondum inventa. Hæc enim res ex usu et vulnerum tractatione aliquatenus assequenda est. Medicina interea suo honore non caruit. Hinc Chiron Machaon et Podalirius Diis pares, novæ scilicet et miræ artis cultores; neque ipse Achilles a Centauro magistro hanc artem excipere recusavit [s]. Inter cæteras etiam artes quæ et honorificæ erant et quæstus gratia exercebantur Ars Medica locum habet:—

— οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν,
Μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων.
Οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν [t].

Praxis autem Medica herbarum potestates unice respiciebat, et in externis tantum medicamentis ver-

[r] *Odyss.* Δ. 411. [s] *Il.* Λ. 830. [t] *Odyss.* P. 383.

sabatur. Telo extracto, vulnus lavabant, mox plantam ipsam vulneri admovebant, vel mixtos variarum herbarum succos:—

—ἐκ μηροῦ τάμνε μαχαίρῃ
Ὀξὺ βέλος περιπευκές, ἀπ' αὐτοῦ δ' αἷμα κελαινὸν
Νίζ' ὕδατι λιαρῷ, ἐπὶ δὲ ῥίζαν βάλε πικρὴν
Χερσὶ διατρίψας ὀδυνήφατον [u].

Interna medicamenta nondum vulgo in usu fuisse atque adeo prodigii loco habita indicio est illud Helenes Nepenthes:—

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων·
Ὃς τὸ καταβροξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
Οὐκ ἂν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,
Οὐδ' εἴ οἱ κατατεθναίη μήτηρ τε πατήρ τε,
Οὐδ' εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν ἢ φίλον υἱὸν
Χαλκῷ δηϊόῳεν, ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο [x].

Ex eodem loco patet Græcos ab Ægyptiis artem suam mutuasse, quorum medicinam laudant magnificis verbis Herodotus et Diodorus [y]. Singuli autem apud Ægyptios in singulis morbis versabantur medici; quæ quidem ipsa res mea sententia argumento esse potest non ex scientia sed ex usu artem suam accrevisse. Scientia enim, quæ Universalia complectitur, late patet. Usus et experientia quæ in particularibus versantur intra modicos fines consistunt, et eo certius scopum suum attingunt, quo angustioribus se limitibus claudunt.

De Geographia Homerica alia sententia dicenda est. Ex hac demum parte perfectiorem habes et veriorem Scientiam, sed illam neque principiis Mathematicis neque tabulis Geographicis instruc-

[u] *Il.* Λ. 843.
[x] *Odyss.* Δ. 220.
[y] *Herod.*, l. ii. c. 84; *Diod. Sic.*, l. i. c. 82.

tam; nec vero facile est totam rem fuse prosequi, pauca adnotare sufficiat quæ ad pleniores aliorum commentarios ac præcipue Strabonis proæmii locum habeant. Jam vero non mediocriter de illo sentiendum est quem Strabo diligentiæ et fidei singularis scriptor in Græciæ descriptione fere unicum sibi ducem habere voluit. Ex ejusdem authoris commentariis patet, poetam non tantum urbes ipsas et regiones nominatim percurrisse, sed eorum situm, proventum, historiam, et loci uniuscujusque naturam diligenter observasse, unde Homeri catalogus nequaquam ex frigida et inerti nominum recensione consarcinatur, sed Græcarum antiquitatum pretiosum et locupletem thesaurum complexu suo continet, dum singula brevi quidem sed apto et diserto epitheto designat Poeta. Hinc Tirynthis mœnia Cyclopum manibus fabricata celebrantur—*Τίρυνθά τέ τειχιόεσσαν*[z]. Hinc Corinthus utriusque maris arbiter *ἀφνειὸς* vocatur[a], mox subjicitur Python Delphica rupe insignis—*Πυθῶνα τε πετρήεσσαν*[b]. Et Athenæ Palladis tutela superbientes:—

> Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
> Θρέψε Διὸς θυγάτηρ[c].

Hæc regio a vitis cultura laudem habet, hæc pascius et gregibus suis vel camporum spatio inclarescit. Nec vero hæc epitheta ornatus gratia temere interponuntur, sed historiæ sed cæterorum authorum testimoniis mirum in modum plerumque conveniunt. Neque me movet, si forte locorum nomina quædam prorsus interciderint, nec si a recentiori Græciæ statu Poetæ verba nonnunquam abhorreant. Mirari potius contingit antiquissimam

[z] *Il.* B. 559. [a] Ibid. 570. [b] Ibid. 519. [c] Ibid. 547.

Græci faciem recentioribus temporibus tam prope consentire. Ipsa etiam describendi ratio digna est quam animadvertas, quâ certe nihil magis perspicuum neque magis Scientia Geographica dignum. Regionem quæ Κοίλη Ἦλις vocatur montibus undequaque circumclusam calamo fere delineasse videtur :—

> Οἳ δ' ἄρα Βουπράσιόν τε καὶ Ἤλιδα δῖαν ἔναιον·
> Ὅσσον ἔφ' Ὑρμίνη καὶ Μύρσινος ἐσχατόωσα,
> Πέτρη τ' Ὠλενίη καὶ Ἀλείσιον ἐντὸς ἐέργει [d].

Eadem perspicuitate Priami regno limites dat :—

> Καὶ σε, γέρον, τὸ πρὶν μὲν ἀκούομεν ὄλβιον εἶναι·
> Ὅσσον Λέσβος ἄνω, Μάκαρος ἕδος, ἐντὸς ἐέργει
> Καὶ Φρυγίη καθύπερθε καὶ Ἑλλήσποντος ἀπείρων [e].

Hæc igitur diligenter et accurate. Sed tamen intra exiguam orbis terrarum particulam stetit Græcorum Geographia, cujus scientiæ limites ex Homero eruere non difficile erit [f]. Cum igitur periculosa erant et infrequentia terrestria itinera [g], maritimam fere oram, quam sæpius navigando perlegerant, unice cognitam habuerunt. Græciæ tamen Propriæ Mediterraneas etiam regiones non ignoraverunt. Peloponnesum ipsam, Locridem, Phocidem, Atticam, Bœotiam et Thessaliæ magnam partem Homerus in Catalogo per singulas civitates explicat [h]. Cæteræ regiones maritimæ sunt; atque adeo Ægæi

[d] *Il.* B. 615.

[e] Ibid. Ω. 543.

[f] *Consulas Strab.*, l. i. p. 6.

[g] Obscurum illud Tiresiæ Vaticinium terrestris itineris periculum respicere videtur :—

> Εἰσόκε τοὺς ἀφίκηαι οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν
> Ἀνέρες, οὐδέ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν, κ.τ.λ.
> *Odyss.* Λ. 121.

[h] Phœnicia in *Odyssea* Δ. et alibi memoratur. Ægæi maris insulæ Lycia Caria et tota fere Asiæ minoris ora maritima in *Catalogo.* Thesprotia et Epirus in *Odyssea.*

maris insulas et maris Mediterranei Orientalem oram ab Ægypto usque ad Hellespontum, et Bosphorum Thracium exploraverant Græci. Euxinus pontus usque ad Parthenium flumen innotuerat[i]. Ulterioris littoris exiguus erat rumor. Fama cogniti erant Cimmerii:—

Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι[j]

sed fama tam incerta ut illos ad Occidentalis Oceani fines ablegare non dubitaret Poeta. Græciæ Occidentalis ora usque ad Epirum et Thesprotiam cognita erat. Italiæ, Siciliæ, Hispaniæ, et Africæ imperfecta erat et incerta notitia, non enim de terris sæpius exploratis et commercio frequentatis tot portenta et tantas fabulas enarravisset Poeta. Extra suorum temporum notitiam evagatus est Ulysses cum Læstrygonas, Cyclopas et Charybdim adiit. Loci intervallum subsèquitur fabulandi licentia; quæ enim tenui rumore cognita sunt obstupescunt et mirantur homines, nec recusant in illis tenebris ultro aberrare et quemvis ducem sequi. Hinc Corcyra Phæacum terra, ultra quam nulla erat Græcorum Geographia, fabularum neque expers erat neque tam ferax quam longinquior Italia. Rem exponit ubi de sua regione loquitur Nausicaa.

Οἰκέομεν δ' ἀπάνευθε πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ,
Ἔσχατοι, οὐδέ τις ἄμμι βροτῶν ἐπιμίσγεται ἄλλος[k].

Cceani et totius terræ systematis imperfectam scientiam Homero concedit Strabo[l], quod si verum sit, ex Phœnicum maritimis profectionibus ad cæteras

[i] Vid. *Trojanorum Catalogum*; *Il.* B.
[j] *Odyss.* Λ. 15.
[k] Ibid. Z. 204.
[l] *Strab.*, l. i.

nationes fama de his rebus delata fuerat. Non Ægæum certe, non Mediterraneum mare, sed Oceanum totum orbem terrarum ambientem respicit magnificum illud :—

οὐδὲ βαθυῤῥείταο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο,
Ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν [m].

neque alium Oceanum in Achillis scuto depingi voluit :—

Ἐν δ' ἐτίθει ποταμοῖο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο
Ἄντυγα πὰρ πυμάτην σάκεος πύκα ποιητοῖο [n].

nec vero Poetæ ipsius perspicua est et intellectu facilis in hac re sententia, neque quem Oceanum Ulyssem suum peragrare voluit. Crediderim incertos suorum temporum rumores arripuisse, et apud Oceani fines tanquam parum cognitos et dubiæ famæ solenni isti operis sui parti quæ *νεκυομαντεία* vocatur sedem quæsivisse. Cum autem ultra Italiam vix quicquam fama acceperant extemplo ab illa ad extremum Oceanum transitum est [o]. Pari lege in Oceano fabulosum Elysium ponit [p]. Quin et Æthiopas Deorum hospites Oceano proximos esse ait :—

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα [q].

Huc igitur confugere solet Poeta tanquam ad locum iis portentis aptum quæ propius admovere non ausus est. Hæc adeo et siqua sint alia his similia quæ totius terræ et maris systema spectant ex incertis rumoribus ad Græcos pervenerant. Nusquam enim temere de illis rebus loquitur Poeta quarum

[m] *Il.* Φ. 195.
[n] Ibid. Σ. 606.
[o] Vid. *Odyss.* Λ. 13, Μ. 1.
[p] *Odyss.* Δ. 563.
[q] *Il.* Α. 423.

certa erat apud suos scientia. Quod vero in maritima tantum ora versabatur Homericorum temporum Geographia non est quod mireris, cum Herodotus longe recentioris ævi scriptor intra eosdem fines substiterit. Nemo omnium propinquas mari regiones magis perspicue et aperte demonstrat. Thermopylas, maritimum Thraciæ littus, et cætera quamplurima ad amussim descripta habes, ea fide et scientia qua nihil supra. Idem cum de Mediterraneis partibus loquitur difficilis est et obscurus, nec nisi obiter et breviter de iis verba facit. Desideratur itaque Xerxis per Thessaliam Mediterraneum iter; cætera sedulo peraguntur.

De Navali Græcorum Scientia alibi loquuti sumus, ubi de eorum commercio disceptatum est. Novam rem miro cum ardore susceperant, rudes tamen adhuc et ignari rei Nauticæ. Sed ex hac parte magna erat Phœnicum scientia.

Naturalis Historia quam vocamus recentioris est ævi. Siquid ex hac parte enucleate loquutus sit Homerus magno authoris ingenio et assiduæ observationi tribuendum est, nondum enim eo Philosophia pervenerat, neque hujusce rei studium hominum animos occupaverat.

De Ethicis eadem quæ de Rhetorica dicenda sunt. Ex commercio et mutua inter se societate tam privatæ quam politicæ vitæ officia sensim innotuerant. Jam cognatorum et affinium, jam civium inter se vincula omnium animis ultro se obtulerant, quam scientiam re semel commota non tardi neque inviti accipiunt homines. Itaque vere et eleganter de civilis vitæ officiis Homerus, tanquam summus harum rerum arbiter. Sed hæc omnia inter se componere et præceptorum corpus conficere recen-

tioris fuit Philosophiæ. Etenim ex præceptis jampridem exploratis et longo usu comprobatis exorta est Scientia Ethica, neque aliam rem agit, quam ut ratione et via ea prosequatur, et ex principiis suis deducat, quæ ex mera experientia didicerant et multo cum labore eruerant homines. Itaque moralia Homeri præcepta eandem habent rationem ad Ethicam Scientiam, quam ad artem Rhetoricam ejusdem eloquentia.

Hæc igitur habui quæ de Homericorum temporum philosophia dici possent. Ex omni fere parte patent Scientiarum initia, exigua quidem illa, sed tamen magnæ rei initia. Jam prima vice eam mentis facultatem tentare audebant Græci quæ Scientiæ systema complecti potest et ejus Theoremata investigare. Ignotum per æquor vela dabant, trepido ut par est et cauto gradu. Cæterum non nihil est mentem in hoc certamen suscitasse et in hæc studia immisisse—non nihil est meditationi et magnarum rerum contemplationi animum adhibuisse. Cœlum ipsum et Astrorum cursus jam attente suspiciebant, cæteræ etiam Naturæ pulchritudinem et ordinem mirabantur. Humani etiam corporis compagem, herbarum et medicamentorum potestates explorabant tanquam rem quæ et usui foret et studio digna sit. Hinc adeo petiit Poeta non tam materiem carminis quam eam qua magnum ingenium ali potest. Ex Heroicorum temporum statu, clarius autem ex ipsius operibus, hoc affirmare ausim. Etenim Scientiæ studio captum fuisse constat, cum in poemata sua fere omnem suorum temporum doctrinam transtulerit. Continua magnarum rerum meditatione ardorem animi fovisse et sublimes sensus concepisse non dubitabit,

qui rite intellexerit eam verborum et styli dignitatem quam ubi de cæli et Naturæ phænomenis mentio inciderit præ se fert, eam mentis vim qua naturam universam perlustrat, eam denique curiosam diligentiam qua singulam fere particulam ad examen revocat. Erat igitur apud æquales suos ea Scientia quæ sufficeret Poetæ, quanquam Philosopho parum satisfaceret.

PRÆLECTIO DECIMA.

EXPLICATIS fere cæteris quæ Homericam ætatem spectant, tandem ad Græcæ linguæ proprietates devenio; obscuram quidem illam et perdifficilem quæstionem, et fortasse ex ipsa sua subtilitate auditu minus jucundam, quam tamen inexploratam relinquere haudquaquam me sinit instituti operis ratio. Cum enim sermo omnium artium et scientiarum commune est instrumentum atque vinculum, in re poetica præcipuum quendam locum habet. Sequor igitur quocunque argumentum meum me vocat:—

"Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes;
Aggressis labor arduus,
Nec tractabile pondus est[a]."

Non enim ex vulgatis rei Grammaticæ principiis eruenda res est, sed ex scientia magis excelsa et magis recondita. Nec vero exiguas illas Græcæ linguæ proprietates quæ ad literarum et syllabarum sonum et materiam pertinent evolvere in animo est, quanquam ex hac etiam parte et suave et magnificum sonet lingua Græca:—

—"Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui."—

tum etiam ἐπεκτάσεις illæ et ἀποκοπαὶ et ἐξαλλαγαὶ, quæ Græcis familiares erant, Poetæ certe non

[a] *Terentian. Maur. in Præfat.*

parum prosunt, nec sunt Poeticæ licentiæ, sed ex ipso linguæ habitu ortum ducunt.

Sed ad majora transeo, ad ipsam Orationis indolem, ad verborum vim et copiam.

Atque hæc Quæstio statim jam in duas partes se scindit, quarum altera in ipsius linguæ excellentia versatur, altera ad ejusdem statum qui in Homerica ætate invaluit nos deducit. De ipsa lingua prius dicendum est.

Jam vero omnis Oratio est in verbis singulis aut conjunctis [b]. Ex horum alterutro vel ex ambobus simul sumptis unaquæque lingua æstimanda est; habet enim vel verborum copiam et elegantiam vel partium aptam inter se connexionem.

Quod singulas igitur partes attinet, recte se res habet, si animi nostri sensa pulchre atque vere repræsentent, si ad manum sint "verba usitata et quæ proprie demonstrent ea quæ declarari volumus [c]:" de qua quidem quæstione ita demum nobis judicium ferre licebit, si ad pulcherrimam illam Aristotelis vel Archytæ potius distributionem revocanda res sit, qua omnia Naturæ opera, atque adeo omnes notiones nostras (utcunque sint specie atque numero multiplices et fere infinitæ) intra decem classes seu Prædicamenta conclusit, et singulis classibus suas differentias et leges adscripsit; ex hac demum parte, ex hac distributione cui certe aliam neque parem neque similem unquam protulit Philosophia, rerum et notionum nostrarum ambitum contemplari licet; ex hac adeo unice de vocabulis dijudicandum est, utrum naturæ et iis quæ in rerum natura maximæ sunt differentiis consona fuerint. Omnia igitur vocabula quibus seorsim et per se sumptis aliqua

[b] *Cic. de Orat.*, l. iii. c. 37. [c] Ibid., c. 13.

est vis, vel Substantiam vel ea quæ Substantiæ accidunt designant. Hanc primam Naturæ distributionem unaquæque lingua secuta est, hoc sibi fundamentum habuit; hinc in unaquaque habes et Nomina et Verba et cæteras formæ minus perfectæ Orationis partes quæ sub his cadunt. In universum itaque vel Substantiarum vel Accidentium nomina habemus, atque hæc nomina suis rebus assignantur ex mutuo consensu hominum, *κατὰ συνθήκην:* non enim Orationem ipsam sed Orationis instrumenta a natura habemus, et quidem Substantiarum nomina juxta naturæ tenorem priora esse judico, prius enim est rei ipsi nomen dare, deinde proprietates ejus et accidentia in examen revocare. Eas autem res sua nomina prius accepisse credibile est, quæ communis sunt vitæ et quotidiani usus, atque in his quidem fortasse simplicioris vitæ sermo diu immoratus est, formam suam et multiplicem vim lentis gradibus assecutus. Generum autem et Specierum nominibus nulla unquam lingua carere potuit: facili motu has sibi notiones fingit animus, neque sine his ullum sermonem inire potest. Sed vel intra communem vitam, intra hæc nascentis linguæ primordia, verborum numerus cito nimis accresceret necesse est, et mole sua laboraret; verborum, inquam, quæ ex mero hominum arbitrio pendent, rerum ex instituto symbola, adeo ut neque facile interpretanda essent, neque in memoriam revocanda; quin et jam tum eo enisuros esse credibile est, ut rerum quandam similitudinem inter loquendum assequerentur, neque enim eo usque delitescere potuit facultas illa animi, qua similia inter se confert atque componit, dissimilia disjungit, quin et ad imitandi amorem naturali quodam studio

provehimur. Ipsæ res, ipsæ notiones nostræ inter se multis modis consentiunt, communem habent materiem in multis eandem. Quid adeo in causa est, cur non et earum symbola easdem habere possint similitudines, et pari inter se vinculo consociari? Sint si placet οὐ φύσει ἀλλὰ θέσει[d], ad eam tamen normam componi possunt, quam in natura ipsa ultro agnoscimus. Erunt adhuc ex instituto vicaria, sed ex partium apta inter se connexione ita comparata, ut illa facilius jam complecti possit mens humana, facilius interpretari, et in memoriam revocare. Huc enim enititur ratio nostra, huc omnis philosophia, ut universales rerum affectus investiget, et firma lege constrictos teneat. Ex hisce adeo principiis non merum sermonem sed et linguæ Analogiam quam vocant desiderare potuissent homines. Re autem semel commota, ejus usus vis et pulchritudo vel in rudi atque inculta ætate facile subsequuntur; non enim de Philosophiæ inventis loquor, sed humani ingenii nativis incrementis. Ipsa certe rerum et notionum Analogia facile se prodit; proximum est illam verbis exprimere; si rustico verbum fortasse defuerit, similitudinem quandam ultro confingit, et nullo labore vocabulis utitur inde desumptis. Ex ipsis igitur linguarum originibus oritur Grammatica Analogia, quæ Analogia quo magis sit ex omni parte absoluta eo pulchriorem habemus et valentiorem loquendi rationem.

Neque vero hæc ita de Græcis loquor tanquam qui primi et de suo sermonem invenerint, sed ex parca et exili materia suam linguam conflavisse non dubitaverim. Ex tanta tamque ordinata derivato-

[d] *Ammonius in Lib.* περὶ Ἑρμ.

rum et compositorum copia hanc rem satis constare arbitror, quæ etiam fere omnia ab iis fontibus promanant, qui in simplici vita primi sunt et notissimi. Fuerint igitur Linguæ primordia ab Oriente in Græciam transvecta. Cæterum linguæ Græcæ facies quam nos habemus antiquissimam quæ Homeri tempore usurpata est, et vocabulis et indole sua, ut apud omnes in confesso est, cum Orientalibus linguis vix quicquam habet commune; neque ulla alia lingua suis opibus magis pollet, aut peregrinis vocibus minus inquinatur, adeo ut eodem progressu ea quæ acceperant renovanda erant atque augenda ac si ipsi ea excogitaverint.

Jam vero easdem res quæ in moribus tantam vim habuerunt, ad sermonem etiam populi pertigisse credibile est. Idem ille ardens spiritus etiam verborum copiam parit; inter pericula et contentiones vitæ inquietæ nova suboriebantur animi sensa, quibus interpretandis usitata non suffecerunt vocabula; nec vero alienigenarum ope uti potuerunt, quibus nullum erat vel mari vel terra commercium. Necesse erat igitur veterem materiem in novos usus fingere et usitatas voces derivando et componendo ita inter se committere, ut crescentibus jam rebus et excultiori vitæ inservire possent. Hinc ratio atque regulæ derivandi et componendi, et (quod maximum est) utriusque habitus et frequens usus. Hinc denique, ut de effectu loquar, uberrima illa verborum copia ex omni parte sibi constans et apte cohærens.

Sed hæc ex exemplis colligenda sunt. Compositorum usum nemo non agnoscit, tam in rebus Poeticis quam in omni sermone Græco. Sunt autem vel Appellativa, quæ locum aut personam dignitate quadam vel insigniore nota ornatum ex-

hibent; atque hoc, vel unico vocabulo, quo sensu habes Ἡλιούπολιν, urbis Ægyptiacæ nomen, vel titulo adjuncto, εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων, Ὀρχομενὸν πολύμηλον[e], ἀνὴρ Ὀλυμπιονίκας[f]. Sunt etiam Descriptiva, quæ istius sunt pulchritudinis ut plenam in se descriptionem continere videantur, qualia sunt illa Homeri, Ἄρτεμις ἰοχέαιρα[g], Πήλιον εἰνοσίφυλλον[h], vel Pindari μελίφθογγοι Μοῖσαι[i], Φιλησίμολπος τ' Εὐφροσύνα. Sunt denique quæ brevitati inserviunt dum rem sua natura complexam intra unam vocem claudunt, quale est illud Herodoti γνωσιμαχέειν[k], se bello imparem agnoscere, et Homeri ἀλλοπρόσαλλε[l]—sed hæc quam præclara sint, quam facile apud Græcos usurpantur et quidem in utramvis partem (pariter enim Comicorum licentiæ atque Epicæ poesi inserviunt) in ore est omnibus.

Derivatorum naturam si rite perscrutemur, agnoscamus illa necesse est Philosophicæ esse veritatis, in quibus scilicet intelligi potest una eademque natura pro diversis quas induit formis in sensus fere infinitos tanquam rivulos deducta, qui tamen omnes recte hæc intuenti ad suam originem et ad unam propaginem revocari possunt; et quidem mihi parum linguam Græcam callere videntur, qui hæc leviter et negligenter attingunt; non enim aliter verus vocabulorum sensus aperiendus est.

Exempli loco sit vox Πέρας, terminus, atque hinc statim oriuntur verba περαίνω, περατόω, rem

[e] *Il.* B. 605.
[f] *Pindar. et Herod.*, passim.
[g] *Odyss.* Z. 102, &c.
[h] Ibid. A. 315.
[i] *Pind.*, *Olymp.* 6.
[k] *Herodot.*, iii. 25.
[l] *Il.* E. 889.

ad terminum deduco; cujus participium perfectum *τὸ πεπρωμένον* destinatus vitæ terminus; hinc etiam *συμπέρασμα* terminus ad quem ratiocinatione deducimur; mox *ἄπειρος*, infinitus, sine termino, et fortasse *πρασιὰ*, area certis limitibus conclusa—*ἔνθα δὲ κοσμηταὶ πρασιαὶ*[m]—tum *περάω*, transeo, ubi Actio termino invento non conquiescit, vel transitive, si ad alium agentem res referatur, trajicere facio, facio ut aliquis ultra terminum datum provehatur, et mox remotiore sensu vendo; etenim mercium commutatione tunc temporis res vendebantur. Habes apud Homerum et sensum et originem vocis:—

> Κεῖθι δε μ' ὡς περάσησι καὶ ἄσπετον ὦνον ἕλοιτο[n].
>
> —νηυσίν λάβον, ἠδ' ἐπέρασσαν
> Τοῦδ' ἀνδρὸς πρὸς δώματ' —[o].

Ex hoc adeo verbi sensu prodeunt *πιπράσκω, πέρνημι* cum derivativo suo *πόρνος*. Rursus *πεῖρα* de illo dicitur qui ad terminum enititur, unde *πειράω* et frequentativum *πειρητίζω—καὶ τόξου πειρήτιζεν*[p]—quin et *πειράζω*—alium tentare si forte ultra terminum se proripere velit, et *πειρατὴς*, qui audacter terminum transilit quidvis tentare ausus, hinc etiam *ἀνάπειρα*, experimentum non simplici vice factum, et *ἐμπειρία*, peritia quæ experientia accrescit, et *ἀπειρία*, peritiæ istius absentia. Affinem sensum habet *πείρω*, transadigo, hic enim datum quoque terminum transgreditur Actio:—

> — φίλης διὰ χειρὸς ἔπειρεν
> Αἰχμὴ χαλκείη —[q].

[m] *Odyss.* H. 127.
[n] Ibid. Ξ. 297.
[o] Ibid. O. 386. Vid. etiam, *Il.* Φ. 40, et *Odyss.* Φ. 454.
[p] *Odyss.* Φ. 124.
[q] *Il.* Υ. 479.

metam enim suam attingit hasta cum manum vel corpus transfodiat; hinc *διαμπερὲς* isti actioni adjunctum quæ terminum longe superaverit. Ex eodem fonte promanat *πόρος*, diversis quidem modis usurpatum, sed communem ubique stirpem referens, designat enim facultatem quandam transeundi terminum et si iste terminus flumen sit, est fluminis transitus, *πόρος Ἀλφειοῖο* [r], vel est ipse alveus per quem fertur flumen; mox, pari pro re diversa sensu, humani corporis spiramenta; mox *πόροι χρημάτων*, ratio comparandæ pecuniæ per quam ad majora transitur; hinc *ἀπορία*, rerum inopia, quarum ope ulterius transeundum est, seu in itinere peragendo, seu in publicis negotiis, seu inter ratiocinandum. Est in quolibet sensu terminus quem superare non queas. Pari sensu usurpatur verbum *ἀπορέω*. Sunt autem homines *πανταχόθεν ἄποροι* quibus nulla jam agendi facultas restat. Huic ex contraria parte respondet *εὐπορία*, ubi in promptu sunt per quæ progredi possis, deinde *πορίζω*, rerum copiam facere, *πόρους* excogitare vel præbere, unde *πόρισμα*, corollarium cui rei demonstrandæ ratio inventa est, *πορσύνω*, facultates administrare, *πόρω*, easdem suppeditare.

—*μαντοσύνην τήν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων* [s].

πορεύομαι, inter proficiscendum iisdem uti, *πορεία*, ipse earundem usus; eandem transgrediendi terminum facultatem spectat *πορθμὸς*, fretum quod facile transiri potest, et *βόσπορος*, fretum trajiciendo pecori idoneum; ex eadem origine est *ἔμπορος*, qui facultatem habet navigandi, et recentiore

[r] *Il.* B. 492. [s] Ibid. A. 72.

sensu mercator, unde ἐμπόριον locus commerciis frequentatus. Hæc igitur omnia et cætera quamplurima illis cognata ab una radice pullulant, nec obscura servant originis suæ vestigia quæ quam late permanant quis non videt. Nec miretur quispiam, modo illud perspectum habuerit, ex hac re pendere κίνησιν istam quæ tot species habet et in omni natura plurimum valet. Etiam Latina lingua verba habet hinc desumpta, experior, comperio, inusitato apud illos ipso themate.

In voce νέμω et variis ejus sensibus habes civilis vitæ imaginem. Sensu enim primario significat distribuere cuique suam portionem—Οἱ δ' ἤδη μοίρας τ' ἔνεμον[t]—verbum fortasse a vita pastorali deductum, in qua pecori distribuebatur locus in quo pascerentur, unde secundo sensu, oves pascere—mox agrum colere, assignatis jam cuique suis possessionibus—deinde habitare, fit enim distributio cum populus in suis sedibus conquiescit—iterum res administrare, suas scilicet partes et jus cuique distribuere; ab his sensibus profluunt, νομεὺς, pastor—frequentativum seu intensivum νωμάω—νώμησαν δ' ἄρα πᾶσιν[u]—in quo loco vix a radice sua discedit; sed habes etiam—πελώριον ἔγχος ἐνώμα[v]—eo enim vibrat ut locum ictui distribuat, et, κέρδεα νωμῶν[x], ita rem in animo versans et distinguens ut sibi commodum quærat. Iterum:—

> Οἶδ' ἐπὶ δεξιὰ, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν·
> Ἀζαλέην[y].

[t] *Odyss.* Θ. 470.
[u] *Il.* A. 471.
[v] Ibid. E. 594.
[x] *Odyss.* Υ. 257.
[y] *Il.* H. 238.

Tum *ἀστρονομία*, Scientia quæ astris suum locum distribuit, non enim alia erat Veterum Astronomia, et *κληρονομία*, sortito enim dispertiebant paterna bona, et *οἰκονομία*, privatæ rei administratio seu distributio. Rursus *νομὸς*, locus est cuivis distribute assignatus, atque adeo gregibus pascuum. Eundem sensum quodammodo referunt *προνομὴ*, pabulatio, *ὑπόνομος*, cuniculus, et agri Ægyptiaci partitiones *νόμοι* dictæ—quin et *χειρῶν νομὸς*, de manibus interserendis, neque abludit *νομὸς* consuetudo, officium scilicet vel pars cuipiam assignata, quin et *νομὸς* cantilena, ex partium divisione, ac denique *νομὸς*, lex, cum suis cognatis, qua scilicet jura et possessiones singulis civibus distribuuntur, et *νέμεσις*, poena vel reprehensio lege data. Adeo ex illa quæ in rerum natura prima est distributione, qua pecori et gregibus suis agrum dispertiebant homines, ad illam tandem deferimur ex qua omnis vitæ communitas pendet.

Parem habet rationem radix *μείρω*, divido, vel in partes scindo, unde *μέρος* pars, *μόρος* portio, atque adeo vitæ conditio cum suis derivativis *δύσμορος*, *κάμμορος*, et denique *μοῖρα* vel *ἡ εἱμαρμένη*, fatum quo in ipsa vita et in ipso vitæ termino sua pars singulis dividitur, quæ quidem ipsa vox simplicem aliquando originis suæ sensum retinet.

Hæc igitur exempla sint Analogiæ quam inter se servant Derivativa Græca. Cætera sunt istiusmodi, *ἄγω* duco, vel remotiore sensu frango, unde *ἀγέλη*, *ἅμαξα*, *ἀγμὰ*, *ἀγὼν*, *ζεῦγος*, *ἀρήγω*, *ἀκτὴ* ac denique *ἀνάγκη*, parem fere numerum parturiunt *γένος*, *βάω* vel *βαίνω*, *δάω* vel *δαίω*, divido, *εἴδω*

vel εἶδος, et reliqua quæ prosequi non vacat; de quibus tamen in universum sumptis animadvertendum est ad paucas radices totam fere linguam revocari posse, atque illas ex primis communis vitæ commerciis desumptas; nec vero multa sunt quæ ex hac aut illa radice eruere non possis, quod mirandum est certe in tanta linguæ antiquitate et obscuritate.

Porro ex iisdem causis (ut videtur) exortæ sunt derivandi regulæ. Ubi ejusdem naturæ erat Actio, modo tantum et relatione diversa, facile erat similium verborum ope uti, unde habes verba quamplurima hac aut illa litera vel hac aut illa syllaba inter se discrepantia, a πέρας scilicet πείρω, περάω, περαίνω, περατόω, πειράω, atque hæc nulla fortasse lege divisa sed pro arbitrio potius. Mox autem ex verbis et eorum temporibus innumera fere vocabula derivanda erant, ex forma nimirum perfecta alia minoris loci atque ordinis, quæ itaque ad normam quandam et legem revocari decuit, atque hæc verbalia appellantur. Hæc adeo pro temporibus unde profluunt et pro suis terminationibus hunc vel illum sensum obtinent. Ex futuro tempore proveniunt, πρᾶξις, δόξα, μάθησις, ποίησις, quæ adeo in universum omnia non opus absolutum sed potestatem potius et modum agendi, i.e. futurum aliquod respiciunt. Ex contraria parte πρᾶγμα, δόγμα, μάθημα, ποίημα, ex tempore præterito deductæ voces opus jam perfectum declarant. Quin et voces quæ in syllabis της, τωρ, terminantur, ad personam active referuntur, ποιητὴς, ῥήτωρ, aliæ in τος, τεος ad rem transactam vel transigendam passive, ποιητὸς, γραπτέος. Similis est

norma eorum quæ a nominibus derivantur. Alia possessiva sunt vel materialia, alia in *ικος* vim aut peritiam innuunt, tanquam illa *λογικὸς*, *ἀρχικὸς*, *στατηγικὸς*, alia in *ωδης* ad rei abundantiam spectant, *καματώδης*, *ἑλώδης*, alia ad causam rei in *εινος*, *ποθεινὸς*, *ὑγιεινὸς*, vel in *ρος*, *λυπηρὸς*—*σοφιστὴς* iterum et *κιθαριστὴς* eum spectant qui studiose in re aliqua versatur. Sunt etiam verba desiderativa in *ειω* cum characteristica futuri, *ὀψείω*, *ἀλλαξείω*, et quæ rei frequentiam vel Actionis intensionem declarant in *ευω*, *πραγματεύω*—*ἀρχεύειν* Τρώεσσι[a]—Diminutiva transeo tanquam satis vulgata, et quidem tota hæc Analogiæ pars non tam Græcis propria est, quam illis cum aliis communis.

Derivativis affinis est Metaphorarum usus, et ex eadem causa pendet, ex facilitate transferendi eorum nomina in sensum non proprie suum sed alienum. In derivativis ex litera aut syllaba immutata novus oritur sensus, in Metaphoris ex contextu dijudicanda res est, eadem tamen utrisque est elegantia et vis, neque enim nominatim tantum de re loquimur, sed una cum nomine eam quam ad cætera habet relationem complectimur. Tres adeo Metaphorarum species, illæ quæ ex translatione nominum Genericorum vel Specificorum fiunt, pro linguæ ubertate frequentiores erunt; ubi enim Generum et Specierum nomina quam maxime se attingunt, suis quæque differentiis accurate et subtiliter divisa, hæc translatio facillima erit, qua certe ex parte nulli secunda est lingua Græca. Restat Quarta species quæ ex Analogia oritur; cujus facilior erit et paratior usus apud eos qui similitudines rerum et

[a] *Il.* E. 200.

proportiones quæ in natura locum habent diligenter inter se conferre solent et in sermone usurpare. Jam Græcorum indoles acris atque perspicax ad hæc observanda præ cæteris prompta erat. Antiquæ linguæ simplicitas et Verborum penuria in causa erant cur hæc in sermonem frequenter transferrent, præsertim cum apud illos nulla peregrinarum vocum erat invectio, atque hinc ex ipsa linguæ ratione et indole frequens erat Metaphorarum usus, adeo ut illæ quæ apud alios duriter sonant Græcis auribus notissimæ sint :—

Ποθέω στρατιᾶς
'Οφθαλμὸν ἐμᾶς [a].

Οὐδ' ἀσύχιμον ἀμέραν
'Οπότε, παῖδ' 'Αλίου
'Ατειρεῖ σὺν ἀγαθῷ
Τελευτάσομεν [b].

'Αμφὶ δὲ σάλπιγξεν μέγας οὐρανὸς [c].

non enim unice ex rerum Analogia hæc res pendet sed linguæ idiomate et populari usu comprobanda est. Herodoti sermo siquis alius antiquam simplicitatem redolet; nemo tamen metaphoris magis luxuriat, atque illud tam facili a proprio sensu ad alterum transitu, ut legentem sæpenumero fallat figurata dictio, nunquam autem moleste in oculos incurrat. Ex hoc itaque antiquissimo authore et nullius artificii viro de vera linguæ indole satis tuto decernendum est.

Est et aliud in transcursu notandum, inter ornatæ dictionis vocabula sunt *γλῶτται* seu vocabula peregrina, eo facilioris apud Græcos usus, quod illa non tam ex alia lingua quam ex alia dialecto desumenda erant.

[a] *Pind., Olymp.* 6. [b] Ibid., 2. [c] *Il.* Φ. 388.

Ex hisce adeo principiis orta est illa (si ita loqui fas sit) Græcæ linguæ Amplitudo, illam dico vim et facultatem qua sese pro re nata explicare potuit et res novas complecti[d]. Itaque philosophia inventa apud Græcos, non jam habes miseras illas de egestate linguæ querimonias, sed parem cum communi vita, cum literis humanioribus elegantiam facile assecuta est scientia, nec tamen suis carere potuit artis vocabulis. Sero apud Græcos invaluit Logica; nec vero Aristoteli ad nova verba et a Græco sermone aliena confugiendum erat; in promptu erant *συνώνυμον, ὅρος, πρότασις, συμπέρασμα, συλλογισμὸς* et cætera quamplurima vel jam usitata, vel a veteribus fontibus facile derivanda, quæ in suos usus transferret, ita ut non tantum accurate semper loquutus sit sed eleganter, qui tamen eandem rem non semel nominaverit, sed pro diversa operis sui ratione variis appellationibus donaverit. Eadem res apud Latinos inculta est atque horrida. Nec minus feliciter Geometriæ inserviit lingua Græca. *Ὑποτείνουσα, ἰσοσκελὴς, αἱ ἐναλλὰξ γωνίαι, παράλληλοι εὐθεῖαι, τὰ παραπληρώματα,* receptæ sunt protinus vel significationis vel derivationis. Recentiores itaque maluerunt Græca vocabula in suam linguam cooptare quam alia de suo fingere. Sed vel nunc Latina Euclidis versio a Græca quantum distat. Quoscunque igitur in recessus, quæcunque in diverticula duceret vel Philosophia vel vitæ ratio, subsequebatur sermo paratus animi interpres. Si

[d] "Quid illud, quod Græci in compositionibus verborum tanta licentia usi sunt, Romani contra magnam in hac re severitatem adhibuerunt? Plane colligat quis Græcos fuisse artibus, Romanos rebus gerendis, magis idoneos." *Verulam. de Augment. Scient.*, l. vi. c. 1.

defuerit vocabulum facile erat receptam vocem vel recudere vel parce detorquere, salva interim linguæ norma et puritate. At Lucretium habes in florentissima Romæ ætate de inopia patrii sermonis non semel conquerentem. At Ciceronem (acrem quantumvis Philosophiæ Romanæ vindicem) eadem inopia ita implicitum ut unam eandemque simplicem rem non tam nominando designet, quam appellationum congerie exponat, quarum nulla plene ipsi satisfecerit, et cum rem ipsam comprehendere non possit circa illam quodammodo lascivire.

Hactenus igitur de ista Græcæ linguæ Analogia qua rerum naturam ita subsequitur ut communem materiem diversis formis indutam sed tamen in omnibus eandem referat, atque ex una stirpe vario proventu adsurgat. Nec vero hic consisto, sed ex ea parte rem prosequi velim, ex qua illas rerum series, quæ magis universales sunt et earum insuper proprietates et differentias quæ quidem majoris sunt notæ fideliter exprimit. Aristotelis ut dixi distributionem sequor, neque alium habeo quem sequi possum. Quod si Philosophicæ isti rerum partitioni, et singularum classium proprietatibus apte respondeat lingua Græca, certe non immerito illam ad amussim confictam esse pronunciare possumus.

Substantiæ proprium est posse unam eandemque rem contraria in se recipere. Sunt igitur in omni lingua ex utraque parte Denominativa quorum alterutrum pariter cum Subjecto suo convenit. Sed Græci magis accurate ab illa Substantiæ proprietate rem deduxerunt, qua et formam et formæ privationem recipere potest. In hunc finem *α* suum privativum commenti sunt, quod omni qualicunque privationi declarandæ sufficeret. Fit autem formæ

privatio nonnunquam vi contrariæ in ejus locum receptæ, unde et illud Græcis cum aliis omnibus commune est ut contraria Denominativa habeant quorum utrumque Subjecto congruat, atque hoc etiam munere nonnunquam fungitur *α* privativum, ut in voce *ἄδικος*. Sed et privatio fieri potest sine contrarii receptione, *ἡ μὲν ἐναντίωσις στέρησις ἄν τις εἴη πᾶσα, ἡ δὲ στέρησις ἴσως οὐ πᾶσα ἐναντιότης*[e]. Medium quoddam intercedere potest, in quo subsistat Privatio, neque in illud quod ex altera parte extremum est transeat. Habes igitur apud Græcos utriusque extremi nomina et quod hunc etiam Medium statum designet; *χρηστὸν* et *βλαβερὸν* contraria sunt, *ἄχρηστον* medium utrisque intercedit; eodem modo *εὐσεβὴς* et *δυσσεβὴς* contraria, inter quæ interponitur *ἀσεβὴς*, et quidem jure, ipsa enim nuda et per se sumpta privatio formæ quodammodo rationem habet, *ἡ γὰρ στέρησις εἶδος πως ἐστὶν*[f]. Hic igitur *α* privativi usus Græcis familiaris est. Ex hoc tota nonnunquam pendet descriptio:—

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἐστὶν ἐκεῖνος.
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος[g].

vel si ad Sophocleam majestatem provocare velis:—

— ὅτε μοῖρ' ἀνυμέναιος
Ἄλυρος, ἄχορος, ἀναπέφηνε
Θάνατος ἐς τελευτάν[h].

de quibus sententiis Aristoteles — *αὔξεται γὰρ οὕτως εἰς ἄπειρον*[i]—accrescit nimirum Orationi vis et magnitudo ex recensione tot privationum. Quin

[e] *Aristot. Metaph.*, l. i. c. 4.
[f] Ibid. *Phys.*, l. ii. c. 1.
[g] *Il.* I. 63.
[h] *Soph. Œd. Colon.*, 1221.
[i] *Aristot. Rhet.*, l. iii. c. 6.

et nonnunquam contrario plus valet privatio, nihil enim magis deforme est quam illud a quo quod pulchrum est omnino abest—*ἡ γὰρ στέρησις ἀντίφασις τίς*[k]—hinc illud Herodoti toties usurpatum *ἄχαρι*—pauca enim sunt in quibus nihil pulchri atque venusti inest, quod etiam imitatus est Virgilius:—

> —"tardaque palus inamabilis unda
> Alligat[l]."

Hujus igitur particulæ vi contraria et privationem qua talia sint contemplari licet, quæ rursus si ita contemplari velis tanquam propria forma induta alia nomina non desunt.

Rursus cum Substantiæ ipsi nihil est contrarium, audaci figura extremam illam privationem designabant Græci quæ Substantiam ipsam ad nihilum redigere videtur. Talia sunt illa Sophoclis, *μήτηρ ἀμήτωρ*[m], *ἄδωρα δῶρα*[n], *δικάζει τὸν ἄγαμον γάμον πάλαι*[o],—vel ut idem fusius Euripides, *οὐ γάμον ἀλλά τιν' ἄταν*[p]. Sunt etiam alii hujus particulæ usus, *αἱ ἀπὸ τοῦ α ἀποφάσεις*[q], ubi privatio ipsa figurative pro illis ponitur quæ eam proxime attingant. Formulas hasce alii a Græcis mutuati sunt, Latini parcius. Nos Anglicani et accurate et eleganter. Exempla habes apud Shakespearum et Miltonum quæ illis Homeri et Sophoclis vix cedant.

Sunt etiam alia vocabula quæ Substantiæ proprietatem illam exprimere videntur qua et formam et privationem recipit. Hinc habes demonstrative, *θάτερον*—Interrogative, *πότερον*—Indefinite, *ὁπό-*

[k] *Aristot. Metaph.*, l. i. c. 4.
[l] *Æn.*, l. vi.
[m] *Sophoc. Elect.*
[n] Ibid. *Ajax.*
[o] Ibid. *Œd. Tyr.*
[p] *Eurip. Androm.*, 103.
[q] *Aristot. Metaph.*, l. iv. c. 22.

τερον, et etiam magis Indefinite, *ὁποτερονοῦν*, quæ omnia rem spectant cui ex contrariis unum necessario adjungitur.

Nec desunt Quantitati etiam et Qualitati sua vocabula. Quantitati proprium est æqualia vel inæqualia denominari sua Subjecta, cui rei exprimendæ habes illa quæ compositionis suæ partem gerunt voces *ἶσος*, *μέγας*, *μικρὸς*, *ὀλίγος*, *πολὺς*, numerò certe non pauca, unde etiam suum *ἰσοσκελὴς* habuere Mathematici. Qualitatis vi similes vel dissimiles res sunt; unde profluunt composita illa ex *ὅμοιος*, *ἄλλος*, *ἕτερος*, quæ ne sufficere nequeant. Adverbium etiam *ὁμοῦ* in easdem fere partes trahebant, unde *ὁμόνοια*, *ὁμολογία*, *κ.τ.λ.* Jam cum specie inter se differunt Qualitates, in hunc finem comparantur tot denominativa suis terminationibus inter se discreta, de quibus supra. Iterum inter se dissentiunt tanquam bonæ aut malæ, *ὑπάρχει δὲ καὶ ἐναντιότης κατὰ τὸ ποίον* [r], unde in compositione toties usurpantur *εὐ* et *δυς*, iterum earum maxima pars intendi aut remitti potest, unde Comparativorum et Superlativorum usus omnibus linguis communis; sed etiam hic Græci exsuperant, qui, si defuerit positivum Qualitatis nomen, ex verbo vel alia Orationis parte ita eam eliciunt, ut comparari possit. Hinc a Substantivis *κέρδος*, *βασιλεὺς* proveniunt *κέρδιστος*, *βασιλεύτερος*.

— ὁ κέρδιστος γένετ᾽ ἀνδρῶν [s].

Ὑμετέρου δ᾽ οὐκ ἐστὶ γένος βασιλεύτερον ἄλλο [t].

Et a Verbo *φέρω*, *φέρτερος*

—Ὅσσον φέρτερος εἰμὶ σέθεν [u].

[r] *Aristot. Categ.* [s] *Il.* Z. 183. [t] *Odyss.* O. 532. [u] *Il.* A. 186.

nam et Verba proprio sensu et Substantiva etiam Qualitatem sæpe declarant. Similis est Græcismus *βελτίων ἑαυτοῦ* vel *βέλτιστος ἑαυτοῦ*, nam et unius viri Qualitates intendi vel remitti possunt. Huic etiam fini inserviunt particulæ *ἀρι, ἐρι*, cum multis aliis :—

'Ρεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται[x],

— ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης[y].

Nec prætermittendum est quam eleganter et quam subtiliter horum Prædicamentorum apud Græcos ratio constat cum de illis loquimur vel Demonstrative, vel Interrogative, vel Relative, vel Indefinite. In Prædicamento Substantiæ *τις* vel Interrogative vel Indefinite pronunciatur, quæ etiam vox componi potest, ut in voce *ὅστις*, ubi Indefinitum illud fit quoque Relativum ; quod etiam Indefinitum suos gradus habet, *ὅστις ἄν, ὅστις δὴ, ὁστισοῦν, ὁστισδήποτε*. In eodem Prædicamento *οὗτος* Demonstrativum est, cui etiam nonnunquam accedit Quantitas, *τοσοῦτος, τηλικοῦτος*, vel Qualitas, *τοιοῦτος*— atque hoc quidem vere ; Prædicamenta enim se mutuo ingrediuntur. In Prædicamento Quantitatis, *ὅσος* Relativum est, *τόσος* Demonstrativum, vel si discreta Quantitas a continua distinguenda est, *τηλίκος* in continua demonstrat. Eodem modo interrogativa sunt *πόσος* in utraque vel in Discreta, *πηλίκος* in Continua. Indefinitum est *ὁπόσος*, cui etiam sui sunt gradus, *ὁποσοσοῦν, ὁποσοσδηποτὲ*— accedère etiam potest locus vel tempus, ut in Adverbiis *ὁσάκις, ὁσαχοῦ*—tum autem quia omnis Quantitas et dividi et multiplicari potest ex altera

[x] *Odyss.* Z. 108. [y] *Il.* H. 411.

parte sunt πόστος, πολλοστὸς, quibus respondent πόσος, πολλάπλασιος.

In Prædicamento Qualitatis eadem est vocabulorum ratio, οἷος, Relativum, ποῖος, Interrogativum, ὁποῖος, Indefinitum, cui etiam ut prius sui sunt gradus, τοῖος, Demonstrativum, et si magis Definite quasi digito quis demonstrare velit, τοίοσδε—

> Μὰψ οὕτω τοιόνδε τοσόνδε τε λαὸν Ἀχαιῶν,
> Ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν[a].

Hasce igitur divisiones quæ certe Philosophicæ sunt veritatis nulla alia lingua tam abundanter præstat. Rursus formulæ istæ τόδε τι, si quid quoad Substantiam definiatur, ποσόν τι, si quid quoad Quantitatem, ποῖον τι si quid quoad Qualitatem, Græcorum propriæ sunt.

Relativorum nomina illis cum aliis communia sunt. Patronymicorum autem quæ vocant magna est copia, quæ quidem res a moribus temporum profluxit. Etenim in communi loquela titulus cuivis dabatur vel a patre vel a majorum aliquo vel a familia, atque hoc etiam magis quo vehementius aliquem compellabant. Vehementer obtestantis est illud:—

> Πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον,
> Πάντας κυδαίνων[a].

Cui non in ipso statim Tydidis nomine mentem subit illud quod nonnunquam argumenti locum habet:

> Τοῖος ἔην Τυδεὺς Αἰτώλιος[b].

Romanorum Agnomen, Prænomen, Cognomen ejusdem sunt generis.

[a] *Il.* B. 120. [a] Ibid. K. 68. [b] Ibid. Δ. 399.

Ad Relationem etiam referri potest illud Aristotelis et aliorum quo eadem res diversis modis sumpta diversis nominibus appellatur, quod in Græca lingua facile erat, in cæteris non item.

Loci et Temporis Adverbia numero fere infinita Prædicamentis *που* et *ποτε* inserviunt, atque hæc vel simplicia sunt, vel cum particulis Demonstrativis Relativis et Indefinitis conjuncta. Huc etiam spectant syllabæ terminales *θι*, *σι*, quæ eleganti compendio significant in loco, *ἐμήσατο οἴκοθι λυγρὰ*[c]—*δε*, *ζε*, quæ ad locum, *οἴκοθεν οἴκαδ'*[d]—*θεν*, *θε*, quæ de loco, *Ἴδηθεν μεδέων*[e]—hujus adeo minutæ particulæ vi totam fere naturam lustrat Poeta:—

> *Δεινὸν δ' ἐβρόντησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,*
> *Ὑψόθεν, αὐτὰρ, ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε,*
> *Γαῖαν ἀπειρέσιην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα,*
> *Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς*[f].

Exempli etiam loco apponam tot illas loci et temporis relationes quæ cum vocibus *οὐδὲ* et *ἄλλος* copulantur. Ex simplici *οὐδὲ* proveniunt, *οὐδαμῇ* nusquam, *οὔποτε* vel *οὐδέποτε* nullo tempore, *οὐδαμοῦ*, nullo in loco et *οὐδαμόθι*, *οὐδαμόσε*, nullum ad locum, *οὐδαμόθεν*, nullo de loco. Sunt etiam *οὐδεὶς* et *οὐδαμῶς*, Substantiæ et Qualitatis—ita ex simplici *ἄλλος*, *ἄλλοθι* alio in loco et *ἄλλυδις* distribute—*ἄλλοθεν*, alio de loco, *ἄλλοσε*, alium ad locum, *ἄλλοτε*, alio tempore.

Huc etiam referri possunt Præpositiones, quæ tamen suum sibi seorsim locum vindicant.

Actio et Passio in verbis conjunctis potius quam

[c] *Odyss.* Γ. 303.
[d] *Pindar.*, *Olymp.* 6.
[e] *Il.* Γ. 320.
[f] Ibid. Υ. 56.

in singulis spectantur. Situs et Habitus minoris sunt momenti.

Hactenus igitur de iis vocabulis quæ rerum nomina sunt atque adeo sua vi sensum habent. Interim ignoscendum sit si fortasse quædam obscure, quædam minus accurate loquutus fuerim, ἴσως γὰρ χαλεπὸν καὶ περὶ τῶν τοιούτων σφοδρῶς ἀποφαίνεσθαι, μὴ πολλάκις ἐσκεμμένον· τὸ μέντοι διηπορηκέναι περὶ ἑκάστου αὐτῶν, οὐκ ἄχρηστόν ἐστι[g]. Nec vero hæc indigna sunt, quæ iterum atque iterum contempleris. Ex harum rerum Analysi et mutua inter se collatione multa sunt discenda. Credibile est enim hanc Græcæ linguæ structuram, cum ad istas rerum Differentias quæ Naturam ipsam regunt et moderantur tam apte quadrat, Aristotelem ipsum in Philosophiæ spatia atque in Metaphysicam subtilitatem deduxisse. Ex eadem nimirum materia Philosophiam suam conflavit, ex qua Homerus suam Poesim.

Vestigia certe rationis verba sunt[h].

[g] *Aristot. Categ.*

[h] *Verulam, De Augmentis Scientiarum*, l. vi. c. 1.

PRÆLECTIO UNDECIMA.

QUANQUAM nonnullis fortasse in Grammaticis argutiis satis jam versati fuisse videamur, rem tamen nondum absolutam iterum attingo. Restat enim nobis exploranda istorum vocabulorum ratio, quorum omnis usus in cæteris definiendis et devinciendis conspicitur, quæ quanquam seorsim sumpta nihil valent et sensu carent, ad complendam tamen Græcæ linguæ excellentiam magni sunt momenti. Restat etiam exploranda verborum inter se Syntaxis, neque me piget in hasce curas iterum delabi. Exilem certe sed non jejunam quæstionem tractamus. Habet enim et acerrimam animi exercitationem, et rei vetustate fere collapsæ recordationem, neque indigna est quæ intra Philosophiæ septa locum sibi vindicet; subsequitur enim hac ex parte Græca lingua rerum naturam, quæ et ipsæ non simplici vice sed mira cum subtilitate inter se colligantur.

Horum igitur Vocabulorum tres sunt species. Articulus, Præpositio, Conjunctio—de quibus ita demum recte statuemus, si singula breviter perscrutemur.

Unicum habent Græci Articulum, cujus tamen frequens est et multiplex usus. Facile ad Gene-

rum et Specierum nomina confugiunt homines. Acutum autem Græcorûm ingenium statim perspexit, quantum in illis ipsis sibi laborandum esset, nisi artificio quodam communia hæc vel totius Speciei vel unius Individui nomina ab hoc ad illum sensum transferri possent. Itaque Articuli ope commune nomen uni alicui quem vel ex priori vel ex vulgari notitia compertum habent assignant. Sed et Singularia apud Græcos suos Articulos habent:—

> Αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ ποιμένι λαῶν[a]·
>
> Βέβληται μὲν ὁ Τυδείδης κρατερὸς Διομήδης[b].

nec quidem dispari lege—singularia enim æquivoca saltem significatione multis conveniunt vel convenire possunt—illum igitur unicum Articuli ope designant, de quo vel prius sermo erat, vel quem communis fama præ cæteris extulit. Pari modo Epithetis adscribitur—*συνιδιάζουσα τὸ ἐπιθετικὸν τῷ κυρίῳ ὀνόματι*[c]:—

> Αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' Ἕκτορι χαλκοκορυστῇ
> Ἵετ' ἀκοντίσσαι[d].

adeo ut passim relationis vi rebus communibus definitum sensum adjungat—*ἴδιον ἄρθρων ἡ ἀναφορά*[e].—Hæc igitur apud vetustissimos Græcos reperiuntur. Recentiores Philosophi[f], quibus cum Individuis vix ulla omnino res est, toti Speciei, quatenus una sit, Articulum adscribunt, ad illam scilicet nos remittentes quam de Specie habemus

[a] *Il.* B. 105.
[b] Ibid. Λ. 659.
[c] *Apollon. de Syntaxi*, l. i. c. 12.
[d] *Il.* Π. 358.
[e] *Apollon. de Syntaxi*, l. i. c. 6.
[f] *De hoc Articuli usu Vid. Philopon. in Anal.*, pr. f. 7 et 85.

notitiam—atque hinc mox in Sententia enunciativa seu Prepositione Categorica Subjecto tribuitur. Tot igitur in usus Articulum suum trahunt Græci. Proprium fere sibi habet sermo Anglicanus, ut duorum Articulorum ope vel laxius vel strictius definiat, ut vel hunc aut illum quem novimus, vel unum aliquem e multis communi vocabulo subjiciat: sed minus accurate tanta re utimur. Quam mutila sit et vitiosa Articuli defectu Latina lingua omnes sentiunt.

Conjunctionum usus, quæ proprie ita dicuntur, omnibus fere linguis idem est. Suis vinculis Oratio carere non potest, sed Græcis partium Orationis inter se consociatio apprime elegans est et multiplex; numero tamen conjunctionum potius quam specie exsuperant, atque illis adeo variis modis inter se compositis utuntur, simplici vocabulo tanquam vinculo nimis crasso parum contenti; fortasse etiam nimis argute et subtiliter in hac re luxuriant: excogitaverant certe rerum differentias nobis incognitas, et vix conceptu nedum verbis assequendas, sed varietatem hinc habent dictionis, et (ut Græco vocabulo rem exponam) *συνεχείαν τοῦ λόγου*, et in rebus implicatis, dum cuique Orationis membro suum seorsim locum distribuunt, nullo aberrandi periculo versantur. Etiam illarum Conjunctionum quas continuativas vocant insignis est apud Græcos usus—adeo ut rerum seriem quantamvis nullo labore complectantur. Testimonio sit artificium, quo post absolutam Orationem, in qua sistat animus et conquiescat, rem intermissam revocant atque eo quo velint producant. Sic primum Iliados librum conclusit Poeta—nec vero in secundo tam de novo orditur, quam narrationem

intermissam repetit, dum particularum ope lectorem plane ad primum remittit:—

> Ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
> Εὗδον παννύχιοι [g],

unde fit tota Ilias, ut Aristotelis verbis utar, *συνδέσμῳ εἷς* [h]. Omnes scilicet tanti operis partes rite inter se devinciuntur, atque seu argumentum seu dictionem respicias unam seriem complent. Græcorum etiam sunt particulæ istæ quæ sibi mutuo respondent—*ὁ μὲν—ὁ δὲ—τοῦτο μὲν—τοῦτο δὲ*—in quibus apte collocandis Orationis integritatem aliqua ex parte ponit Aristoteles [i]. In devinciendis igitur sententiis mira est Græcorum solertia, sed illam sibi propriam habent vocabulorum copiam, quæ conjunctiones nonnunquam vocantur, sed sunt potius definiendi et explicandi Adverbia, illas dico quæ nonnullis in Græca lingua minus accurate doctis Orationis numeros tantum atque sonum explere videntur. Aliter tamen Græcæ linguæ peritissimus Theodorus Gaza [k]—*ἔχουσι δὲ πολλάκις καὶ σημασίαν διάφορον*—et illo vetustior Apollonius [l]—*οὐ γὰρ ἀληθές ἐστιν ὥς τινες ὑπέλαβον, μόνους αὐτους ἀναπληροῦν τὸ κεχηνὸς τὰς ἑρμηνείας, καὶ διὰ τοῦτο εἰρῆσθαι παραπληρωματικοὺς—σχεδὸν γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἴδιον τι ἐπηγγέλλετο.* Sed et ipsa ratio hoc probat. Ridicula enim est opinio, tantam vocabulorum copiam ea unica de causa confictam esse, ut Oratio numerosior fiat, et mollius sonet—tum autem eorum maxime frequens est usus in communi sermone et

[g] *Il.* B. 1.
[h] *Aristot. Poet.*, c. 20.
[i] Hoc ipso exemplo utitur. *Rhet.*, l. iii. c. 4.
[k] l. 4.
[l] l. 3. c. 28.

in colloquiis inter familiares. Non Poetæ sed Xenophon sed Plato et quicunque demum fuerint Atticæ eloquentiæ elegantiores magistri illis potissimum utuntur. Neque ipsi Mathematici eorum usum recusant. Habent profecto et summam vim et venustatem exquisitam, v.g. particula δὴ confirmandi sensum habet: nunc itaque carminis majestati inservit:—

Θυμὸς[m] δὴ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων[n].

Δὴ τότε μητιόωντο Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων
Τεῖχος ἀμαλδῦναι[o].

nunc affectibus augendis:—

Αἱ γὰρ δὴ οὕτως εἴη φίλος ὦ Μενέλαε[p].

Οὕτω δὴ οἶκονδε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Ἀργεῖοι φεύξονται[q].

Ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον,
Αἰδῶ τ' αἰσχύνωσι κύνες κταμένοιο γέροντος,
Τοῦτο δὴ οἴκτιστον πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι[r].

Vel ut aliquando ad Tragicos et ad illud Æschyli affectus plenissimum provocemus:—

Ἄναξ Ἀπόλλον, αἵδε πληθύουσι δὴ[s].

nunc explicandi sensu usurpatur:—

Ἐν καθαρῷ ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος[t].

nunc ab una ad alteram vel ad extremam denique conclusionem transit—quo sensu Mathematicis demonstrationibus inservit. Variis itaque modis usurpatur, eum tamen semper in finem ut Orationi

[m] Legunt tamen plerique Θυμὸς δὲ, κ.τ.λ., sed exempla non desunt.
[n] *Il.* B. 196.
[o] Ibid. M. 17.
[p] Ibid. Δ. 189.
[q] Ibid. B. 158.
[r] Ibid. X. 74.
[s] *Æschyl. Choeph. Sc. ult.*
[t] *Il.* Θ. 491.

stabilitatem vel vehementiam addat. Similis est usus particulæ γε μειωτικῆς[u], et aliorum denique. Inter se etiam et cum cæteris conjunctionibus componuntur, ita ut infinitum fere in numerum accrescant, neque facile a se invicem distingui possint. Nec vero tuto nullam esse differentiam pronuntiamus, si forte ea nostram linguam aut etiam conceptus nostros fugiat: curiose certe minores rerum differentias sectabantur Græci, et ex quotidiano sermone, ex vitæ habitu, ne dicam ex animi acumine, felicius in illis quam cæteri versabantur. Harum igitur particularum ope siquid erat explicandum, determinandum, confirmandum, definite aut indefinite pronuntiandum, multa cum varietate et venustate singula peragebant. Hinc in dialogis suis Plato et Xenophon perpulchre designant quo gradu et modo dubius hæret animus, qua vi et impetu ad consensum proripitur, vel ab eo se avertit, totam denique mentis humanæ faciem et singulos motus dum argumentis adversarii aut obsequitur aut ea adversatur nullo fere labore depingunt. Hac igitur sit Græcorum propria laus. Apud alios certe magna est horum vocabulorum penuria, et quidem, credo, ultro se ex hac ipsa parte laborare agnoscet, dum in alia lingua versatur, cui familiaris est Græci idiomatis norma.

Nec minus subtilis est Præpositionum Græcarum doctrina—hanc quidem linguæ suæ partem necessario cum aliis communem habent—sed illius etiam frequenti et accurato usu cæteris præcellunt. Habent enim Præpositiones Græcæ sensus fere infinitos, de quibus tamen affirmare non dubitarem omnes ad

[u] *Theodor. Gaza*, l. 4; *Apollon. de Syntaxi*, l. iii. c. 28.

unam radicem revocari posse—non quod tantum rem nunc ago, neque vero mihi ipsi plene in illa satisfacio—magna tamen ex parte res patet, et fortasse ex longo usu in re tantæ subtilitatis loquendi ratio non prorsus sibi constat. Dandum est aliquid populi arbitrio et consuetudini quæ a recta ratione plerumque aberrare solet. Sed et de ipsa Præpositionis natura quid sentiam libet paucis exponere. Latent enim etiam in his sermonis minutissimis partibus semina Philosophiæ, quatenus ut Verulamii verbis utar[x], "Vestigia rationis verba sunt."

In omni itaque Actione tria statim animo subjiciuntur—Is qui Agit—Id quod Agitur seu ipsa Actio—et Illud etiam quod recipit Actionem—quæ omnia in veteribus linguis singulatim exponuntur per Rectum Nominis casum—per Verbum—et per declinationem quandam a Recto casu, Accusativum scilicet; adeo ut non tantum ex vocabulorum ordine sed ex ipsa terminatione Agens ab illo quod recipit Actionem dignoscatur. Sed alia etiam una complecti solet animus, potestatem scilicet seu Causam ex qua ad agendum provehimur, et finem etiam ad quem tendimus, vel quod tantundem est, punctum ex quo procedit Actio et punctum etiam ad quod. Hinc alias etiam Nomini terminationes adsciverunt, quæ his rebus exprimendis idoneæ essent, atque ex his principiis ortæ sunt Nominum declinationes. Hinc Genitivo *γένεσιν* seu *κτῆσιν* tribuunt Grammatici, Dativo *περιποίησιν*. Sed plures sunt rerum inter se relationes quam quæ his artificiis plene contineri possent, et cum Loci Relationes atque illæ quæ ex Loco oriuntur maxime

[x] *De Augmentis Scientiarum*, l. vi. c. 1.

Universales sint, commenti sunt Orationis partem, Præpositiones scilicet, quæ omnes sensu primario Loci relationem quandam vel mutationem declararent, et ab hisce sensibus ad alios transferri possent. Vix enim quicquam est cui nulla cum Loco et Motu Analogia intercedit. Hisce igitur Præpositionibus suus adscriptus est Nominis Casus, atque is fere qui cum Præpositionis sensu optime conveniret. Sed et earum multæ diversis Casibus adscriptæ diversos sensus induunt, illos nimirum, ut videtur, qui ex vi ipsius Casus et Præpositionis sensu inter se commissis oriuntur: quin et cum Verbis ipsis societatem ineunt Præpositiones; neque illud mirum, facile enim ad Locum et Motum in ipsa Actione nominanda deferuntur hominum animi. Sed ut exemplis rem exponam. Præpositio *παρὰ* rei situm juxta alteram ex latere significat.

παρὰ δ' ἔγχεα μακρὰ πέπηγεν [y].

Et Accusativo jungitur :—

παρὰ τάφρον ὀρυκτὴν τείχεος ἐκτὸς [z].

παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης [a].

Hinc adeo navi juxta littus cursum tenenti adscribitur et illis qui fluminis ripas accolunt.

Οἵτ' ἄρα πὰρ ποταμὸν Κηφισσὸν δῖον ἔναιον [b].

Situs autem juxta aliud cum potestate, hoc est cum Genitivo, qui casus ex potestatis notione pendet, facili metaphora isti tribuitur quod ab alio ortum ducit—*τὴν ἀπὸ προσώπου σημαίνουσα κίνησιν* [c] :—

—Ἡφαίστοιο πάρα κλυτὰ τεύχεα δέξο [d].

[y] *Il.* Γ. 138.
[z] Ibid. Υ. 49.
[a] Ibid. Α. 34, &c.
[b] Ibid. Β. 522.
[c] *Theodor. Gaza*, l. iv.
[d] *Il.* Τ. 10.

cum isto invicem casu qui acquirendi vim habet, rei tribuitur quæ ad aliud movetur vel apud illud moratur:—

— παρὰ πατρὶ γέροντι [e],

atque adeo illi quod penes aliud est.—Fit etiam Comparativa hæc Præpositio; apponi enim solent, quæ secum mutuo conferuntur: quin et formula ista:—

Πὰρ δύναμιν δ' οὐκ ἔστι καὶ ἐσσύμενον πολεμίζειν [f].

suam originem refert, non enim cum ista re congruit sed juxta illam cadit. Etiam sensus isti violandi jus et leges, aberrandi a recta ratione, ab eadem sunt origine. Fingitur enim recta quædam linea extra quam ab hoc aut illo latere nihil tutum est aut sanum, παρὰ τὸν νόμον, contra legem. Est igitur παράνομος, qui leges violat. Eandem rem alio nomine declarat illud Homeri:—

— σκολιὰς κρίνουσι θέμιστας [g].

παραλογίζεσθαι dicitur, qui a recta ratione aberrat; παραλόγισμος argumentum quod rectæ rationi repugnat; atque ita quocumque demum modo ab illo tramite deflectas in quo veritas, ratio, et virtus inveniuntur. Servant autem eleganter in Compositione, κατὰ σύνθεσιν, Præpositiones eundem sensum quem habent simpliciter κατὰ παράθεσιν:—

Ἐν πάντεσσι πόνοισι παρίσταμαι [h].

juxta, prope te adsum—παραστάτης, qui a latere

[e] *Il.* Σ. 36.
[f] Ibid. N. 787.
[g] Ibid. Π. 387.
[h] *Odyss.* N. 301.

alicujus stat, *παρακάθημαι*, juxta assideo—*παρατρέχω*, cursu prætereo:—

Τῇ ῥα παραδραμέτην[i].

Mox remotiori sensu—*παραμυθέομαι*, ad latus alicujus verba facere, seu consolari:—

— ἀγαθὴ δὲ παραίφασις ἐστὶν ἑταίρου[k].

Παράλληλοι dicuntur rectæ lineæ quæ eandem inter se positionem servant, nusquam autem conveniunt. Iterum:—

— παραὶ δὲ οἱ ἐτράπετ' ἔγχος[l].

avertit se telum ita ut ex latere prætervehatur:—

— παρέπλαγξεν δὲ νόημα[m].

mentem a recta via declinare fecit—mox *παραβλῶπες*, oculis in obliquum transversis. In Temporum nominibus vis hujus Præpositionis cernitur, *παρατάτικος*, Imperfectum, quod ab utraque parte protenditur—*παρακείμενος*, Præteritum Perfectum, quod ab una tantum adjacet—et in Modi Infinitivi nomine, *ἀπαρέμφατος*, qui nihil, i.e. nullum agendi sensum in se habet quod Verbi sensui apponat. Videtis quam late pertingit sensus initiis suis plane simplex et unus, quam eleganti analogia tot diversas res complectitur. Ex hoc itaque exemplo de aliis judicium fiat, et si hæc vera sint erit certe Græcis horum vocabulorum tam simplicium quam compositorum summa elegantia. Quin et iisdem decompositis utuntur Græci, neque illud temere:—

— ἵνα μή σε παρεκπροφύγησιν ἄεθλα[n].

[i] *Il.* X. 157.
[k] Ibid. Λ. 792.
[l] *Il.* N. 605.
[m] *Odyss.* Υ. 346.
[n] *Il.* Ψ. 314.

tres habes Præpositiones intra unam vocem conclusas, quarum tamen ne unica sua vi caret; quin et facilem plerumque patiuntur analysim hæ tam involutæ Voces. Adeo iterum hanc partem Orationis cum aliis quidem communem habent Græci, sed usum ejus fere sibi proprium. Nec vero hæc omnia statim certa esse et accurata pronuntio, sed aliis potius discutienda in medium profero. Videor certe mihi in his rebus, quæ tantam discrepantiam habent, communia quædam et Universalia principia agnoscere, neque miretur quisquam si difficile sit in tanta linguæ vetustate et obscuritate singula sub suis principiis ordinate distribuere.

Vocabulorum igitur, sive illa per se vim habeant, seu conjunctim tantum, et divitem et lautam supellectilem sibi vindicat Lingua Græca.

Ad Sententias seu verba conjuncta transeo. Parum enim est ipsa verba habere, nisi illa idonea sint quæ inter se consocientur. Jam Declinationes Nominum et Verborum antiquas linguas tam Latinam quam Græcam præ cæteris efferunt. Nobis partim ex verborum ordine res dijudicanda est, ubi certe nulla erit linguæ varietas, laborabit legibus nimis duris obstrictus et Orator et Poeta. Utrique rei veteres consuluerunt et varietati dictionis et perspicuitati; in sententiis summa cum arte involutis statim clara sunt omnia, neque in perturbato verborum ordine carent simplicitate. Rursus nobis partim ex particularum ope potius quam ex ipsa terminatione dignoscuntur casus, ubi deerit loquendi brevitas et arcta partium inter se constructio; at veteribus intra breviores fines conclusa est Oratio, et apte inter se cohæret: tum autem ex ipsa structura et periodos habent magis numerosas et senten-

tiarum magis æquabilem tenorem, neque quicquam hiulcum aut asperum. Denique, quod maximum est, ex tam multiplici verborum inter se collocatione animum auditoris habent attentiorem et magis suspensum, et variam singulis vocibus vim ex mero loco adsignant: delectamur autem cum loquentem prævenire non possumus, facile tamen omnia inter loquendum assequimur. Sensit hoc Demosthenes, qui in summa simplicitate verborum structuram habet artis plenam. Sensere Attici qui huic rei ad nauseam fere studuerunt. Sensit Miltonus noster, qui veterum Syntaxin quatenus in recentiori lingua fieri potuit æmulatus est. Quod in hoc ex Nominum Casibus aliquatenus pendet, multo etiam magis ex Verbis, quorum Numeri, Modi, Personæ, Tempora tot a primaria forma declinationes patiuntur, quas tamen omnes periti primo statim intuitu ad Thema suum norunt referre. Felix certe artificium —cujus ope illa auxiliarium quæ vocant Verborum turba, quibus recentiores linguæ obruuntur, prorsus exulat, quæ cum Orationis partes conjungunt eas tamen nimis diducunt, et Poetam præ cæteris præpediunt. Latinam autem linguam etiam ex hac parte præcurrit Græca. Propria illorum est Vox Media, neque illa usus aut venustatis expers. Est enim ubi Actio reciproce in ipsum Agentem transit; eleganter etiam nonnunquam novum gignit sensum reciprocus ejusdem Verbi usus, *φυλάττομαι*, Caveo, ab Activo *φυλάττω*, Custodio. Etenim in Voce Media significat, me ipsum Custodire. Græcorum etiam est Paulo-post-futurum, quod nonnunquam suum locum non infeliciter habere potest. Majori longe in pretio habenda sunt Indefinita Græcorum tempora, quæ a Perfectis certe vera et Philosophica

differentia distant, neque tuto ulla lingua carere potest divisione illa præteriti temporis in Perfectum et Indefinitum. Itaque apud Græcos nulla alia tempora frequentioris sunt usus. Quod Modos attinet, Imperativi tempus perfectum non prorsus iners est, illis rebus attributum, quæ cum summa authoritate sancitæ sunt simul cum ipso imperio ad finem perduci videntur—unde a Mathematicis eleganter usurpatur—Κύκλος γεγράφθω ὁ βγδ. Plusquam-perfectum ultra Indicativum non deflectunt Græci propter illam quam in Subjunctivo et Optativo cum Perfecto habet propinquam cognationem. Infinitivi usus cum Articulo loco Nominis Substantivi et veritatis est et elegantiæ. Etenim necesse erit inter loquendum frequenter ipsam Actionem vel Agendi potestatem seorsim et per se usurpare, nulla ipsius Agentis habita ratione, nec vero adhuc omni temporis notione sublata. Quam facile in Substantiæ vicem transeunt rerum Accidentia ex hoc cernitur quod tot Substantiva habemus quæ in omni lingua proprio sensu Accidentium nomina sunt. Hoc vero est in ipso fere transitu rem morari, et in ipso cursu quo una Orationis pars in alteram transfertur intervallum sumere in quo sistat animus. Apud Græcos nullo labore res agitur. Articuli ope vel Casum vel Genus Verbo tribuunt, quin et Verbum ipsum cum toto suo comitatu in hunc usum trahunt. Toti sententiæ tribuitur Articulus. Tota sententia (si forte illam ut sæpe fit tanquam rem unam complectatur animus) fit quod dictionem attinet Nomen Substantivum, et Casus Nominativi vicem gerens Verbum suum regit, vel in alio quovis casu a Verbo suo aut Præpositione regitur. Itaque

hujus rei apud Atticos scriptores frequens est usus. Latini eandem rem aggressi sunt, sed Articuli defectu parum assequuntur; novam igitur Orationis partem imperite confingunt, quam Gerundium vocant. Nos Participium in has partes trahimus sed minus accurate quam Græci. Iterum apud Græcos singula fere Verbi tempora sua habent Participia, Latini carent et Præteriti temporis Activi, et Præsentis Passivi Participio, quæ tamen in rerum natura parem cum cæteris locum sortita sunt. Nostræ linguæ idem est vitium. Cum igitur utrumque apud optimos authores Græcos familiari usu novimus et facile intelligimus in aliam tamen linguam non sine crasso verborum circuitu transferre possumus.

Ex hisce igitur rebus constat perfectiorem fuisse apud Græcos Linguæ Syntaxin, quam ipsi non inepto nomine *καταλληλότητα* vocant.

Tandem igitur argumentum ad finem perducamus. Ex hoc enim qualicunque Græcæ linguæ conspectu intuemur illam et verborum copia divitem et compendiis loquendi instructam et partium inter se cohærentia concinnam: accurate et venuste conceptibus nostris ipsa vocabula respondent, dum pari facilitate quamvis rerum seriem et conceptuum inter se comprehensionem structura et norma linguæ repræsentat. Intuemur profecto illustrissimum humani ingenii monumentum, neque a Philosophica veritate neque a vulgari sermone absonum, ita comparatum ut neque Scientiæ neque Poeseos incrementa recusaret, et pro vario captu hominum novas formas indueret et in varias dialectos se scinderet, simplex tamen ubique maneret et sibi constaret.

Sed tamen in hisce proprietatibus recensendis nequaquam mihi in animo est Græcis unicis hæc omnia vindicare. Si illi naturam et naturæ maxime philosophicam distributionem feliciter subsequuti sint, nolim affirmare cæteros nulla ex parte eandem attingere. Illud dixisse sufficiat, quod et fidenter dico, in hisce omnibus simul sumptis præ cæteris eminere linguam Græcam. Aliis vel penuria verborum est, vel sensus verborum nimis solutus et Analogiæ expers, vel quod nonnunquam fit ipsa copia sua laborant, et nimio apparatu opprimuntur. Græcis unice in summa copia mira est loquendi brevitas. Interea neminem latere potest hanc quam diximus linguæ excellentiam Poetæ apprime utilem fuisse. Illi Metaphorarum facilis usus, illi derivandi et componendi elegantia, illi particularum copia et tot loquendi compendia præcipue prosunt.

Hæc igitur Homero cum suis communia. Hisce autem positis breviter expedienda est altera illa quæstio de statu linguæ temporibus Homericis.

Patet igitur jam tum formam illi et stabilitatem accrevisse. Quænam autem ejus initia et quibus gradibus formam istam acceperit frustra quærimus. Desunt unde tantæ quæstioni satisfacere possumus. Ab Orientalibus illam profluxisse aiunt. Esto—sed tamen Homericis temporibus non tantum verbis sed et norma et indole sua cum Orientalibus vix quicquam habuit commune. Aiunt iterum (et quidem credibile est) per Græciam disseminatam fuisse ab ista regione, in qua vitæ humanitas prima sui incrementa accepit, ab Australi scilicet Thessaliæ parte seu Phthiotide [o]; quod si verum sit, Coloniæ istæ quæ ab Oriente et Ægypto transvectæ in his

[o] *Dicæarch. Stat. Græciæ.*

regionibus præcipue consederunt[p] utrique originem dedisse viderentur. Illa tamen iterum repugnat summa inter Græcam linguam et Orientales discrepantia. Quin et cætera linguæ vocabula, et illa etiam quæ Artes et Artium incrementa designant, pari jure ad paucas radices atque illas ex primis vitæ incultæ studiis desumptas revocari possunt, atque adeo Græcis nativa esse debent. Itaque si Coloniis istis debentur prima linguæ incrementa, non tam illud peregrinorum vocabulorum invectione effecerunt quam veterem materiam recudendo et in novos usus conformando. Atque hoc fortasse sensu a Thessalia per cæteram Græciam disseminata est hæc de qua loquimur lingua. Sed de his satis. Homero omnia jam parata erant[q]. Simplex certe erat istorum temporum sermo, non tamen rudis neque horridus. Poetam ipsum suorum temporum dialecto contentum fuisse nullus dubito: nondum eo processit res, ut artificia loquendi sectarentur homines, ut Poeta ferri possit qui patrium sermonem aspernaretur. Homero satius erat popularium suorum auribus adblandiri, quam audaci incepto usitatam loquendi rationem immutare et de novo fingere: nec vero sine teste hæc loquor—*Ὁμήρος οὐκ ἀναλογίᾳ προσεχρήσατο, ἀλλὰ τῇ τῶν κατὰ αὐτὸν ἀνθρώπων συνηθείᾳ κατηκολούθησεν*[r]. Erat autem Dialectus patriæ et temporum ejus, ex conjectura hoc loquor, Vetus Ionica—quam cum Attica vetere eandem fuisse

[p] Vid. *Prælectionem* 2dam.

[q] *Pindarion Grammaticus* (*ap. Sext. Empir. adv. Math.*, l. i. c. 10. § 202, 3) Analogiam Dictionis ex consuetudine ortam esse vult, istam autem consuetudinem apud Græcos ex Homero petendam esse. δεδοκιμασμένη δὲ καὶ ἀρχαιοτάτη ἐστὶν (sc. συνήθεια λέξεως), ἡ Ὁμήρου ποίησις.

[r] *Sext. Empiric. Adv. Grammat.*, l. i. c. 10.

pronuntiat Strabo—τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φάμεν[s]—non enim temere et data opera a Metropoli sua desciverunt Iones, sed sensim et lento gradu molliorem et solutum magis sermonem adepti sunt. Etiam ipse Herodotus Atticis, quas vocant, loquendi formulis non caret. Pariter interea ab antiqua lingua deflectebant ipsi Attici studiose sibi ex qualibet regione verborum elegantiam conquirentes—φωνὴν τὴν πᾶσαν ἀκούοντες ἐξελέξαντο τοῦτο μὲν ἐκ τῆς, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς[t]. Antiquam igitur illam linguam apud Homerum invenire mihi videor, a Dorico sermone jam antea sejunctam, vix tamen adhuc in species suas (Atticam dico et Ionicam dialectum) divisam. Hinc adeo necessario apud Homerum extant multa utrique communia, principia scilicet utriusque linguæ; neque in miseram illam et ineptam sententiam delabi opus est, Poetam ornatus gratia ex variis dialectis suam loquendi rationem consuisse, ita ut—

— "nec pes nec caput uni
Reddatur formæ."

nec miretur quisquam si et Doricis et Æolicis loquendi formulis nonnunquam utatur, quo enim remotiori in antiquitate versamur, eo propius communia uniuscujusque Dialecti principia attingamus necesse est; qua quidem ipsa de causa Homerus Græcarum literarum fons est unicus. Erat itaque Heroicæ ætatis sermo neque imperfectus neque incomptus.

Jam vero mores fere hominum subsequitur sermo, et easdem cum illis vices subit. Habes in vitæ simplicitate linguæ etiam simplicitatem et

[s] *Strab.*, l. viii. p. 333. [t] *Xenophon de Athen. Repub.*

severitatem. Mox ubi nimio cultu naturæ integritas obruitur, linguam etiam habes nimia arte confictam, in verborum argutias et dictionem nimis delicatam delabuntur homines. Consuetudo denique et usus totum linguæ habitum inficiunt, adeo ut de hac re idem fere dicendum sit, quod de isto quem jam tractavimus vitæ civilis statu. Tragici quidem et Comici Poetæ, quorum sermo vitæ communi propior est, exquisitam Athenarum suarum dictionem non recusant. Dubitari tamen potest utrum eadem illa Epici carminis majestati pariter conveniret. Est enim id genus Poeseos *σεμνὸν καὶ αὔθαδες*[u]. Quin et ipsi Tragici in Choricis carminibus vetustiorem et minus expolitam linguam sectati sunt. Etiam horridus ille præ recentiori Latinitate Ennii sermo habet tamen aliquid in se ponderis et dignitatis.

Quod ipsam igitur linguam spectat, et ejus statum qui in Homericis temporibus invaluit, Poetæ fausta erant omnia et felicia.

[u] *Aristot. Rhet.*, l. iii. c. 3.

PRÆLECTIO DUODECIMA.

HOMERICORUM temporum ea est ratio, ut quocunque se convertat animus, statim ex omni parte oriuntur et uberrima et materiæ non vulgatæ argumenta. Post tot quæstiones supersunt adhuc minora quædam, quæ in subsidium Poetæ non nihil contulerunt. Itaque ex iis Epilogi loco quædam attingere destinavi, quæ sub illis quæ jam antea tractavimus capitibus non cadunt, sunt autem molis non contemnendæ. Atque hæc cogitanti duæ præcipue res sese offerunt, Heroicæ scilicet ætatis Mythologia et Historia,—eum tantum in finem a nobis tractandæ, quo melius constet quemnam utriusque statum sibi subjectum habuit Poeta,—unde fabulas suas sive illæ religionis sint sive historiæ congesserit, qualis denique et quanta erat popularium suorum superstitio, et quinam annales. Fabularum et Religionis usum Poeticum nemo ignorat: nullum unquam legitimum Poema larga illarum messe caruit, aut carere potest. Itaque Homerum in hac re subsecuti sunt et Græci et Latini, ex eadem materia portenta sua eruentes, et ad eandem normam confingentes; neque eorum vestigia deseruerunt Neoterici, nisi ex illa parte ex qua novum superstitionis systema in poeticos usus traxerunt, et in veteris locum suffecerunt. Sed vel

adhuc familiari usu fabulas illas quæ Homero duce Musis consecratæ sunt usurpamus, nec recusamus paulisper animo in antiquam Mythologiam relabi et ea nosmet oblectare—*πεπεισμένοι μήτε Κενταύρους διφυεῖς ἐξ ἑτερογενῶν σωμάτων ὑπάρξαι, μήτε Γηρυόνην τρισώματον, ὅμως προσδεχόμεθα τὰς τοιαύτας μυθολογίας*[a]. Liceat itaque de tantæ rei primordiis quid sentiam in medium proferre, si forte inter tot discrepantes sententias et nos aliquid conjectura assequamur.

Jam vero Herodotus totam fere fabularum Græcarum compagem Homero et Hesiodo tribuere videtur. Hos Theogoniam confecisse ait, hos singulis Diis et cognomina et munia sua atque etiam formas adsignasse—*οὗτοι εἰσὶν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἶδεα αὐτῶν σημήναντες*[b]. Nolim tamen nimis ex litera hæc intelligere. Quod Poesin attinet, Homericam rerum divinarum distributionem recentiores non ausi sunt violare. Nolim tamen Homerum fabularum suarum atque adeo religionis Græcæ authorem et primum inventorem haberi—*τὸ γὰρ πάντα πλάττειν οὐ πιθανὸν, οὐδ' Ὁμηρικόν*[c]. Neque portenta et fabulæ istæ in re Poetica ullum omnino locum habent, nisi quatenus ex receptis temporum opinionibus originem ducunt. Hinc omnis vis earum in alliciendis hominum mentibus, in iis enim commorari vult superstitio quibus assuevit, rem novam neque agnoscit neque ea permovetur. Hinc earum

[a] *Diod. Sicul.*, l. iv. c. 8. [b] *Herod.*, l. ii. c. 53.
[c] *Strabo*, l. i. p. 25.

usum asserit Aristoteles—ὅτι οὕτω φασίν, οἷον τὰ περὶ θεῶν[d]. Et quidem mea sententia fabularum Græcarum compages nequaquam simplex fuit, sed ex diversis partibus conflata; nequaquam unius ætatis et paucorum hominum opus fuit, sed ex variis regionibus, et longa annorum serie in eam quæ Homerica ætate obtinuit formam accrevit. Ac primo quidem magnam Mythologiæ Græcæ partem ex Historia petitam esse arbitror—ἔλαβεν οὖν παρὰ τῆς ἱστορίας τὰς ἀρχάς[e]. Etenim ea tempestate non nisi memoria suorum rerum gestarum notitia stetit, et ore tenus posteris tradebatur: atque istiusmodi historia cito in fabulas transit, dum singuli, ut natura est hominum, ea quæ ab aliis acceperint in majus efferunt et majore indies cum veneratione excipiunt; porro vero, Dei cultu semel amisso, facile eo confugiunt homines, ut honores et vim divinam illis tribuant, quæ admirari solent, et suis majora esse credunt; ex omnium gentium historia hanc rem comprobare possumus. Historia autem Poetica etiam ipsa ex duabus partibus constat; quarum altera ad summam antiquitatem referri potest, illa complectens, quæ de mundi ipsius origine, de diluvio, de communibus humani generis parentibus, de primis suorum migrationibus, et de ea quam olim cum aliis nationibus societatem habuerunt, servabantur monumenta; manifesta enim, ut videtur, modo rite hæc omnia perscrutemur et sua caligine exuamus, quanquam non incorrupta harum rerum vestigia Deus remanere voluit. Hinc religionis Græcæ cum populis valde dissitis in quibusdam rebus mira consensio—hinc illæ de Thessalica

[d] *Poet.*, c. 25.

[e] *Strab.*, l. i. p. 20.

et Attica diluvie fabellæ[f]; de Bacchi denique et Cereris erroribus, et utriusque donis. Hinc Bacchum et Iovem suum et Libyes et Ægyptii et Græci et Indi pariter sibi vindicant—et siqua sint cætera ejusdem generis; nec vero hæc omnia statim nullo discrimine ad primæva tempora ablegare velim, illud tantum dico, inesse in his rebus monumenta quædam quæ vetustiora sunt quam quæ Græcis solis conveniant. Altera pars Græciæ magis propria est, in recentiori ætate consistit, neque adeo longe ultra Trojani belli tempora assurgit, ita enim illa Poetæ accipio, quæ de Hercule, Theseo, et de Herorum familiis vix extra suorum temporum memoriam positis memorantur:—

> Οἷον Πειρίθοόν τε, Δρύαντά τε, ποιμένα λαῶν,
> Καινέα τ', Ἐξάδιόν τε, καὶ ἀντίθεον Πολύφημον,
> Θησέα τ' Αἰγείδην, ἐπιείκελον ἀθανάτοισι,
> Καὶ μὲν τοῖσιν ἐγὼ μεθομίλεον[g],

neque enim ita vetustatem aucupantur homines, ut recentiorum nulla sit memoria, neque regum et ducum suorum nomina et facta non aliquatenus etiam literis nondum inventis callent, neque ea fuit Heroicorum temporum barbaries, ut nulla extent historiæ et annalium suorum rudimenta. At Homerus in familiis recensendis frequens est et diligens; habes Agamemnonis, Priami, et cæterorum stirpem, neque tutum erat mentiri et extra receptam opinionem evagari in iis quæ nondum ex memoria hominum excidissent. Cito quidem in fabulas transit Historia, quæ ex unica memoria pendet, nec vero tam facile deleri potest. Cum autem ex hisce partibus Historiam Poeticam constare ar-

[f] Suas etiam habuerunt de diluvie fabellas Samothraces et Rhodii, &c.—*Diod. Sic.*, l. 5.

[g] *Il.* A. 263.

bitror, non tamen eas inter se facile dissociandas, neque suis temporibus adsignandas esse judico; ista caligine et vetusta et recentiora obruuntur, quæ facile discuti non potest; sufficiat dixisse Græcos fabulis suis quædam intexuisse, quæ Græcia ipsa antiquiora sunt, cætera ad hunc aut illum Græciæ statum pertinere, plurima autem ad ea tempora non inepte referri posse, quæ Trojanum bellum uno aut altero seculo exsuperant. Hunc igitur in modum Mythologia Græca ex historia ortum ducit.

Una etiam cum illis antiquissimæ historiæ reliquiis remanserunt apud Græcos ritus quidam omnibus fere gentibus communes, remansit suus sacer ignis, aqua lustralis, et altaria vel templa in summis rupibus exstructa. Summam Athenarum Acropolin habuit Pallas. Delphicam rupem Apollo—Πυθῶνα[h] τε πετρήεσσαν. Κρόνιον λόφον[i] Jupiter Olympius:—

— ὑψηλοῖο πέ—
— τραν ἀλίβατον Κρονίου[k].

Sunt etiam in Græca Theologia vestigia erroris illius quo unius Dei cultus in Idololatriam et numina fere innumera abiit, dum prava mente et studio ipsa Dei Opt. Max. nomina et titulos et attributa pro Diis adorabant, ipsa denique Elementa, solem et sidera, et alia divinæ potestatis notissima instrumenta. Talia sunt illa Homeri numina:—

Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις,
Καὶ ποταμοὶ καὶ Γαῖα[l],

et illud Euripidis:—

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις,
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν[m].

[h] *Hom.*, *Il.* B. 519. [i] *Pind.*, *Olymp.* 5. [k] Ibid., 6.
[l] *Il.* Γ. 276. [m] *Ap. Stob.*, *&c.*

Atque hæc in Græciam cum ipsis incolis invehi potuissent.

Nec vero ut ad alteram partem transeamus, Allegoriis caret Religio Græca. Homeri sunt personæ istæ Allegoricæ :—

Δεῖμός τ', ἠδὲ Φόβος, καὶ Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα [n].

Homeri sunt Preces istæ quæ Aten pone subsequuntur :—

Καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
Χωλαί τε ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ·
Αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ' Ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι [o].

Pari lege Hesiodus :—

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον καὶ Κῆρα μέλαιναν
Καὶ Θάνατον· τέκε δ' Ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων [p].

Neque ex alio fonte sunt illa Romanorum Concordiæ Fidei et Pudicitiæ templa :—

"Ut colitur pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido [q]."

Quin et Physicæ rei imperfecta quædam et obscura Theoremata religioni Græcorum se immiscuerant. Hanc rem attingunt vano quidem atque irrito conatu cum de Cœli et Terræ nuptiis, et de eorum progenie loquuntur, unde Lucilius ille apud Ciceronem—"Alia quoque ex ratione et quidem Physica magna fluxit multitudo Deorum, qui induti specie humana fabulas poetis suppeditaverunt, hominum autem vitam superstitione omni referserunt [r]." Ac Stoici quidem in hac parte explicanda ad nauseam usque immorati sunt. Set et non-

[n] *Il.* Δ. 440.
[o] Ibid. I. 498, &c.
[p] *Theog.*, 211.
[q] *Juv.*, *Sat.* i. 115.
[r] *M. T. Cic. de Nat. Deorum*, l. ii. c. 24.

nulli, ut ex Aristotele[s] discimus, Homericam illam de Oceano et Tethye sententiam ita interpretati sunt, atque ipse etiam multo magis fidenter Hesiodi illa ad Principia rerum et ad Physicam Philosophiam pertinere suspicabatur[t]:—

> *Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γενετ· αὐτὰρ ἔπειτα*
> *Γαῖ' εὐρύστερνος—*
> *'Ηδ' Ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν*[u].

ὡς δέον, inquit Aristoteles, *ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν τινὰ αἰτίαν, ἥτις κινήσει καὶ συνέξει τὰ πράγματα.* Eadem fere de Amore habet Philosophus Parmenides. Illa etiam ut ex Diodoro discimus *Μεναλίππης ῥῆσις* ex Anaxagoræ Physicis deducta jampridem in fabulis delituerat:—

> *'Ως οὐρανός τε γαῖα τ' ἦν μορφὴ μία,*
> *'Επεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,*
> *Τίκτουσι πάντα, κἀνέδωκαν εἰς φάος,*
> *Δένδρη, πετεινὰ, θῆρας, οὓς θ' ἅλμη τρέφει,*
> *Γένος τε θνητῶν*[x].

In hunc etiam modum Homerum interpretari liceat, ubi de Catena aurea, quæ ex summi Patris arbitrio pendet, verba facit, eam designans divini numinis vim quæ universum hoc mundi systema complectitur, et per quam singulæ partes in suo loco continentur; ex cujus adeo nutu alia omnia facile moventur, dum ipsa alienis viribus impugnari aut labefactari non potest[y]. Huc etiam quidam non inepte referunt fabulas istas de Junone[z] in medio

[s] *Metaphys.*, l. i. c. 3. Vid. etiam *Platonis Theætet.*

[t] *Metaph.*, l. i. c. 4. Vid. etiam *Verulamium de principiis et originibus, &c., et de Sapientia Veterum.*

[u] *Hesiod.; Theog.*, 116.

[x] *Eurip. ap. Diod. Sicul.*, l. i. c. 7.

[y] *Il.* Θ. 19, &c.

[z] Ibid. O. 18, &c.

æthere suspensa, de certamine Deorum adversus ipsum Jovem [a], de pugna Deorum [b], et de Proteo [c].

Ex hisce igitur fere partibus, ex tot fabulis undequaque conquisitis jam tum Homeri ætate constabat Græcorum Mythologia. Huc facit etiam quod suis opibus parum contenti aliunde sæpe novos ritus exquirebant, et veteres studiose conservabant. Conservabant nimirum illos ut diximus qui Græco nomine et lingua antiquiores erant, quos Patres eorum in aliis regionibus communem jam cum illis, a quibus postea longo intervallo dirempti sunt, vitam agentes exercebant. Unde enim aliter illa quæ ab Herodoto [d], Pindaro [e], et aliis memoratur religionis Delphicæ et Deliæ cum Hyperboreorum cultu consensio. Quin et Hercules ab ista regione olivam in Græciam invexisse fertur:—

Δᾶμον Ὑπερβορέων πείσας, Ἀπόλλωνος θεράποντα [f].

Equidem antiquissimos incolas a Septentrionali Europæ atque Asiæ parte in Græciam transiisse crediderim, atque hæc conservasse originis suæ vestigia [g]. Sunt etiam Bacchi Orgia Græcis cum Thracibus communia [h], et Musarum etiam tituli ex ea sunt regione. Novos autem ritus ex Syria et Ægypto quamplurimos accipiebant Græci, ex illa superstitionum matre Ægypto magnam religionis suæ partem eos derivasse fatetur Herodotus [i], par-

[a] *Il.* Α. 399, &c.

[b] Ibid. Φ. 385, &c.

[c] *Odyss.* Δ. 384, &c. Vid. *Phurnutum de Nat. Deorum; Heraclid. Pont. de Alleg. Hom.; Verulamium de Sap. Vat., &c.;* Harris's "Philosophical Arrangements."

[d] *Herod.*, l. 4.

[e] *Pindar., Olymp.* 3; *Pyth.* 10.

[f] *Pind., Olymp.* 3—28.

[g] Vid. *Salmas. de Hellenist.*, p. 400.

[h] *Herod.*, l. vii. c. 111; *Diod. Sic.*, l. iv. c. 3.

[i] *Herod.*, l. ii. c. 50.

tim, inquit, ab Ægyptiis partim a Pelasgis profluxit religio Græca: neque vero Cabiri, Corybantes, et Curetes origine sua Græci juris sunt; et quidem credibile est, una cum literis et artibus cæremonias etiam quasdam et ritus ab Oriente in Græciam transmissos fuisse; præsertim cum rerum novarum amor et studium omnia conquirendi et in suos usus transferendi jam olim Græcorum animis insederit. Fuit etiam Græcorum religio partim omnibus communis, partim singulorum propria. Delphici Apollinis et Olympici Jovis templa omnes in universum Græci frequentabant. Hoc interim festum Ionum natio proprium sibi habuit[k]. Hoc Atheniensibus solis in usu erat[l]. Eundem etiam Deum hoc atque illo nomine alius atque alius populus colebat, receptæ omnium Mythologiæ multa intexentes quæ ex sua historia et suis moribus deducta erant. Hanc rerum faciem Homerus sibi subjectam habuit, variam certe et multiplicem, neque adhuc ut videtur in corpus compactam, sed ex omnium ore et ex veterum Poetarum carminibus sparsim hauriendam. Ex hac materiæ copia ea delibare et excerpere licuit, quæ sibi ex re forent. Quocunque adeo se verteret, suorum animos paratos habuit, qui in gressus suos irent. Nondum veterem superstitionem labefactaverat Philosophia sed omnium mentes occupaverat, et ex omni parte dominabatur religio terroribus et fabulis referta. Neque enim varietas tantum sed et indoles religionis Græcæ magni fuit—"Ecce fulgurum monitus, oraculorum præscita, aruspicum prædicta[m]," omnia formidinis plena. Hæc sunt quibus Theo-

[k] Ἀπατούρια; *Herod.*, l. i. c. 147.

[l] Παναθήναια, κ.τ.λ.

[m] *Plin.*, *Nat. Hist.*, l. ii. c. 7.

clymenus Vates lectoris animum perstringit, incerta atque adeo dira memorans futuræ stragis indicia:

> Ἆ δειλοὶ, τί κακὸν τόδε πάσχετε; νυκτὶ μὲν ὑμέων
> Εἰλύαται κεφαλαί τε πρόσωπά τε νέρθέ τε γοῦνα,
> Οἰμωγὴ δὲ δέδηε, δεδάκρυνται δὲ παρειαί·
> Αἵματι δ' ἐῤῥάδαται τοῖχοι, καλαί τε μεσόδμαι·
> Εἰδώλων δὲ πλέον πρόθυρον, πλείη δὲ καὶ αὐλὴ,
> Ἱεμένων Ἐρεβόσδε ὑπὸ ζόφον· ἠέλιος δὲ
> Οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε, κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς[n].

Hæc enim omnia ex quibus "nec miserius quidquam homine nec superbius" pronuntiat Plinius[o], instrumenta sunt quæ rei Poeticæ feliciter inserviant, ex quibus vel in spem erigi vel terroribus infringi potest animus. Quin et rituum solennitas et frequentia Poeticis descriptionibus locum dabat. Accedit illud etiam, quod Græci Superos suos non ultra humanos affectus et nostræ naturæ imbecillitatem elevabant. Junonem habes fœmineis odiis incensam:—

> Ἤ τοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες,
> Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη·
> Τὰς διάπερσαι, ὅταν τοι ἀπέχθωνται περὶ κῆρι[p].

Martem hostili rabie sævientem[q].. Venerem etiam illicito amori operam subministrantem[r]. Hinc etiam adulteria, jurgia et odia inter eos finguntur, de quibus Xenophanes:—

> Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός τ' Ἡσίοδός τε
> Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ,
> Κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν[s].

Quæ cum, ut, ait Plinius[t], super omnem impuden-

[n] *Odyss.* Υ. 351.
[o] *Plin.*, *Hist. Nat.*, l. ii. c. 7.
[p] *Il.* Δ. 51.
[q] Ibid. Ε.
[r] Ibid. Γ.
[s] *Xenoph. ap. Sext. Empir.*
[t] *Plin.*, *Hist. Nat.*, l. ii. c. 7.

tiam sunt, tamen conceptibus nostris propiora sunt, et Superos humanis negotiis hospites dant magis familiares.

His igitur rite perpensis, jam mirari quis desinat, cur tantam fabularum molem et tot religionis præstigias operibus suis intexuerit Homerus. Sensit enim nulli rei lubentius se tradere homines quam superstitioni et ex nulla parte magis audacter excurrere mentem humanam; atque adeo ut in cæteris avide arripuit subsidia ista quæ ex suæ ætatis indole et statu pleno flumine derivari possent. Nos hanc ejus sententiam multorum jam seculorum usu comprobatam vidimus. Vidimus recentiores Poetas etiam in istis temporibus in quibus fabulis Græcis vel minus impense studuerunt homines, vel eas fama tantum et ex aliorum scriptis compertas habuerunt, ejus vestigia deserere non ausos fuisse. Tandem aliquando, sed illud ex parte tantum, Gothica Superstitio (eam dico quæ ut videtur partim a Septentrionali Europa partim ab Oriente profluxit) in antiquæ locum successit: pari lege nec minus feliciter tum Italici poetæ tum Shakespearus et Spencerus nostri suorum popularium fabulas usurpaverunt, atque illas etiam magis quam Græcæ licentiæ et formidinis plenas, quibus tamen vel adhuc superstitione ista jampridem ablegata oblectamur, adhuc in media philosophiæ et sanctissimæ religionis luce Poetam inter nocturnos lemures et sagarum portenta versantem non inviti prosequimur; non quod illis creduli sumus, sed quod in istis spatiis liberius vagari et longius excurrere potest mens humana; quod in illis vires suas quibus novas formas fingit et conceptus suos pro arbitrio componit tentare potest, inquies plerumque et

fugæ amans et arctiorum Veritatis vinculorum impatiens. Unicus fere Miltonus, Sacræ Scripturæ sublimem illam Poesin quæ ultra humanas vires assurgit ante oculos habens, tentavit quid possit augusta puræ religionis species, neque illam dehonestavit, quanquam et ipse in fabulas tum veteris tum novæ superstitionis nonnunquam delabitur, et in minoribus suis operibus studiose atque pulcherrime illas tractat. Habuit autem Neotericorum superstitio illud cum antiqua commune, quod plures Deos vel saltem Dei ministros ubique præsentes utraque agnoscat, adeo ut singulæ mundi partes, singulæ denique animi et corporis facultates, et actiones etiam humanæ sua numina habeant. Apud Græcos etiam furtorum et scelerum sunt numina, adeo ut "major cælitum numerus etiam quam hominum intelligi possit." Ipsi etiam Superi sæpenumero inter homines versari et humanam speciem induere ferebantur :—

> *Καὶ τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι*
> *Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας*
> *'Ανθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες* [n].

Sunt etiam apud Neotericos sua numina quæ et sylvas et lucos incolunt, quæ in bonas vel in malas res propellant, quæ vel in secundis vel in adversis rebus se comites præbeant. Ex omni denique parte Numinis præsentia et religionis terrores animo objiciuntur—haud leve certe in ista arte subsidium quæ alliciendis et permovendis hominum mentibus operam dat. Sed ut ad argumentum redeam. Materiam quam descripsimus ita collegit et refinxit Homerus, ut jam ab hoc tempore in corpus quod-

[n] *Odyss.* P. 485.

dam et systema coaluisse haberetur. Illius opera et eorum qui eum secuti sunt fabularum series conficta est quæ receptæ foret authoritatis. Hoc saltem sensu illa Herodoti accipi velim. Hoc sensu nomina et titulos Græcis numinibus assignare potuissent Homerus et Hesiodus, sua etiam munia et honores cuivis distribuere. Habuerunt nunc Græci quos in hac re consulerent. Habuerunt authores religionis, non eos quidem qui fabulas et ritus invenerant, sed qui sparsam materiam in unum coegerant, qui historiæ tum antiquissimæ tum recentioris monumenta, ritus tum communes tum singulis gentibus proprios, qui Physicas etiam et Allegoricas fabellas literis consignaverant. Atque hæc quidem omnia mihi neque probabili conjectura carere videntur, neque non universam rem complecti. In re tam obscura et vetusta frustra speramus singula sub suis capitibus ordinate distribuere[x]. Alii interim in hisce fabulis Græcæ historiæ perpetuam seriem sibi videntur invenire, atque eo omnia detorquent. Alii contra omnia ad antiquissima tempora, nulla distinctione facta, referri volunt, et ad communem omnium fere gentium historiam et origines. Alii ad Allegoricas interpretationes omnino confugiunt, nec nisi fictam et simulatam veritatis speciem in his rebus agnoscunt, quos adeo omnes nimis ex parte sententiam suam dedisse arbitror; male autem ad totum transferre ea quæ ex parte tantum vera sunt. Frustra enim omnia ad recentiorem Græcorum historiam revocamus, cum primorum parentum, ducum, et regum, rituum etiam et migrationum monumenta ita in hominum

[x] Καθόλου μέν γὰρ ἐν ταῖς ἱστορουμέναις μυθολογίαις οὐκ ἐκ παντος τρόπου πικρῶς τὴν ἀλήθειαν ἐξετάστεον. *Diod. Sic.*, l. 4. c. 8.

animis insident, ut vel vetustate avelli non possint; frustra ex paucis summæ antiquitatis reliquiis omnia eo revocamus; neque enim suorum seculorum recordatio tam cito et facile ex animis elabitur; tum autem istius historiæ quæ ex memoria hominum pendet natura est vetusta cum novis immiscere, ordinem et seriem rerum perturbare, suis et recentioribus aliena et antiqua tribuere, uni ea quæ multis conveniunt, homini quæ genti, nec tamen statim sequitur hunc unum aut hos recentiores prorsus nullos esse, cum ea usurpaverint quæ alieni juris sunt. Rursus Græcis et Romanis mos erat virtutibus et vitiis, et singulis animi facultatibus vel personam vel suum numen tribuere, ea autem numina ubique fere præsentia agnoscere unde superstitio popularis cum Allegorica loquendi ratione sepenumero consentit. Itaque si Achillis ira reprimenda est et intra limites coercenda, quemnam potius Deum in partes suas traheret Poeta, quam illam quæ prudentiæ et sapientiæ humanæ tutelam gerit. Hoc vero fere est Allegorice loqui.

Sed hæc aliquando missa faciamus, et ad historiæ statum transeamus; et quidem eam fabulis refertam fuisse et ex unica memoria pendere jam antea vidimus, neque vero pro isto rerum statu jejuna erat aut copiæ expers. Quo magis humanitas vitæ, artium et scientiarum notitia ingruebant, eo magis studiose rerum memoriam conservabant: tum autem communes illæ plurium gentium vel totius Græciæ expeditiones (eas dico quæ Septem duces et Epigoni contra Thebas gesserunt ac præcipue Trojanum bellum) memoria digniores erant quam illa quæ prius obtinebant finitimorum populorum tumultuaria bella atque uno prælio dirempta: tum autem historiæ

seriem facilius nunc conservabant, quam olim inter migrandum. Tandem igitur et materiæ copiam et dignitatem aliquam adepta est Historia, nondum tamen suis legibus constricta est, atque eo ipso ad Poeticos usus accommodatior. Hæc igitur est illa quæ longis illis Nestoris[y] et Phœnicis[z] narrationibus copiam subministrat. Hæc est illa de qua tam magnifice sub Stheneli[a] et Minervæ[b] et cæterorum persona locutus est Poeta, si forte extra Trojani belli tempora animum lectoris arripere velit. Sed hunc rerum statum satis exponit Sirenum cantilena. De illo doctrinæ studio loquuntur, quod omnia complecti vult, de Trojano autem bello tanquam pulcherrima universæ doctrinæ particula, de temporibus nimirum in quibus et historiæ amor et magnarum rerum notitia suboriebatur.

> Ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
> Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν·
> Ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ[c].

Poetæ etiam lucro apponi potest intervallum illud quo a Trojanis temporibus ipse distabat, quod quidem, si modo vera sit ex hac parte conjectura nostra[d], tantum erat ut abunde sufficeret isti quæ Poesi Epicæ convenit, et quam Homerus semper aucupatur amplificationi, nec vero memoria rerum de quibus loquitur prorsus interciderat. Facile autem scriptorem subsequitur hominum opinio dum antiqua suis augustiora facit, præsertim ubi nulla sunt literarum monumenta; facile iterum illa toto animo complectitur, quæ nondum desierunt omnium sermonibus usurpari: quæ vetustate nimis obscura sunt et sordibus obruta animum minus tangunt. Non

[y] *Il.* Λ., &c. [z] Ibid. I. [a] Ibid. Δ.
[b] Ibid. E. [c] *Odyss.* M. 189. [d] Vid. *Prælectionem* 2dam.

igitur frustra est illud—Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'—nec vero temere usurpandum. Atque hac de causa recte Homerum in Trojanis potius quam suis temporibus versari voluisse arbitror: in paucis enim locis, exempli gratia ubi de ferro indurando[e], de equitandi arte[f], et de tuba bellica[g] loquitur, ad recentiora tempora plane se transfert, quam illa in quibus plerumque vult consistere.

Tandem igitur suscepti operis primam hanc partem claudimus, sed priusquam manum de tabula liceat mihi ea quæ tractavimus summatim in memoriam vobis revocare. Quod totam igitur Græciam[h] spectat, in sedibus suis conquiescere, muris oppida munire, et opes comparare cœperant, miro denique ardore ab inculta atque erratica vita ad ulteriores profectus festinabant, gentibus quidem divisi sed communi religione et aliis vinculis inter se devincti. Privatim atque in suis civitatibus singulis ordinibus sua jura non scriptis quidem legibus sed communi consensu tribuebantur[i], mercaturæ et rei militaris scientiæ jam prima vice operam dabant, quin et in privatis rei domesticæ commerciis suboriebatur cultus aliquid atque affectuum istorum qui vitam humaniorem reddunt[k]; neque deerant consuetudinis istius et disciplinæ qua recentior Græca in tantum inclaruit vestigia. Agriculturæ etiam et cæteris mechanicis quas vocant artibus pari animo studebant, sed mediocri adhuc profectu[l]. Sequuntur artes humaniores. Jam vero Poesios magnum erat nomen et vulgaris usus, sed legitimi Poematis ante Homerum nulla suspicio[m].

[e] *Odyss.* I. 391. [f] *Il.* O. 679. [g] Ibid. Σ. 219.
[h] *Prælect.* 2da. [i] Ibid. 3tia. [k] Ibid. 4ta.
[l] Ibid. 5ta. [m] Ibid. 7ma.

Erat quoque in usu eloquentia sed parum ad artem composita[n]. Musicæ, Sculpturæ et artis Graphicæ obscura quædam et imperfecta primordia se produnt. Picturæ ne primordia quidem. Pari jure Scientiarum rudimenta quædam sibi vindicant tempora Heroica, sed ea pleraque ex usu et experientia deducta, neque adhuc in ordinem redacta[o]. Atque hæc quidem omnia vel jam nascentia vel medio in cursu excepit Poeta. Linguæ Græcæ alia est ratio[p], quæ certe vel ea ætate illam copiam vim et elegantiam habuit, ut in quosvis usus facilem se præberet, neque vero adhuc a severitate et simplicitate sua deflexerat; et, ut ad præsentem disputationem deveniamus, erat fabularum moles et varietas quæ in quosvis usus fingi possit; ea denique religionis indoles atque is historiæ status qui poeticis rebus optime inserviret.

Hæc sunt igitur quæ voco Subsidia Homerica, quæ certe simul sumpta longe majora sunt, quam quæ ex ulla alia ætate derivari possent. Quid effecerit Poeta his subsidiis instructus restat explorandum.

[n] *Prælect.* 8[va]. [o] Ibid. 9[na]. [p] Ibid. 10[ma] *et* 11[ma].

PRÆLECTIO DECIMA-TERTIA.

EA quam absolvimus propositi argumenti pars, utcunque in se neque parvum neque imperfectum rerum ambitum concludat, ad aliam tamen ultro nos deducit. Erat instituti nostri non tantum ætatis Homericæ normam exploratam habere, sed ex hac norma ipsius Poetæ et ejus operum certiorem et meliorem notitiam assequi. Parum est materiem et instrumenta artis comperta habuisse, nisi et illud etiam didicerimus quibus viribus et quanam ratione ea tractaverit artifex: parum est supellectilem Homericam oculis subjecisse, nisi et illud accesserit qua ratione eam ordinaverit et effinxerit Poeta. Nec vero nomini ejus et authoritati obesse puto, si ex temporibus suis tanta subsidia habuerit: sit satis si ex præstantis ingenii et auspicatissimæ ætatis conjuncta vi tanta opera prolata habemus.

Ipsum itaque Poetam hæc secunda pars omnino spectat: quam quidem quæstionem ex omni parte excutere in animo est si forte explicare possimus Homeri in sua arte excellentiam et contemplatione attingere illam vim animi qua et totum opus complexus fuerit, et materiem suam in singulis partibus conformaverit et distribuerit; tum autem eruenda est ejus in omni vita peritia, qua opus suum ita

absolutum dedit, ut et suæ ætati et seræ etiam posteritati prodesse posset; hinc patebit quænam ex illius carminibus et ab ipsis Græcis et a nobis etiam (in quorum usus jam nunc vigent et uberrimos fructus proferunt) haurienda est doctrina. Poeseos scilicet Homericæ et sensum certiorem et usum feliciorem quærimus.

Methodum universam et argumenti seriem Aristotelis distributioni subjicio, ita ut quaternas illas Epici Carminis partes, Fabulam dico, Mores, *Διάνοιαν*, et Dictionem, singulatim percurram, quæ quidem partes in alias quamplurimas facile se scindunt. Ex Fabula itaque initium dicendi sumimus.

Jam vero ex hac parte Homerum primum omnium vidisse arbitror sublimiorem poësin sine fabula prorsus nullam esse. Quæ illum præcesserat Poësis in medio cursu laborabat; superaverat, credo, prima illa artis rudimenta quæ in Deorum laudes quasi sponte effuderunt homines, jam in Heroüm laudes transierat, et in vita humana versari cœperat. Itaque, ut fert natura, imitatione quadam mores et res gestas hominum exprimere conata est. Sed mores et gesta hominum ex rerum serie pendent et in ea se produnt. Vix igitur aliter exprimi possunt nisi ex historiæ particula quadam: quo enim modo ex rerum singularum serie et ordine de vita humana judicium ferimus, eodem necesse est eam exponat et depingat Poeta: hinc adeo, ut omnes fatentur, narrationis expers friget et mole sua laborat et lectori fastidium movet Oratio Laudativa: tum demum ardet et oblectationis plena est cum ex historia laudis materiem elicit. Quo autem magis ex apta et continua rerum serie constet narratio eo magis pronis auribus accipitur. In unius belli, regionis,

vel hominis historia libentius immoramur, quam in illis quæ vinculo omnino carent; ita in rebus quæ sensibus objiciuntur requirimus illa quæ inter se societatem ineunt, et uno intuitu perlustrari queunt. Eadem res et in pictura et in sculptura locum habet: quæ multa sunt et inter se disjuncta divorsum agunt animum et vexant; quo autem strictius sit illud commune vinculum eo magis oblectamur. Maxima igitur cum oblectatione ad illam Actionem complectendam, quæ una sit et ex justo partium numero constet, se accingit mens humana. Hoc est illud Aristotelis quod in artibus et scientiis tantum valet *εὐσύνοπτον* et *εὐμνημόνευτον*. Itaque ubi ad vitam et mores hominum transierat Ars Poetica, proximum erat rerum seriem sibi subjicere: frigidum esset personas et mores a factis avulsos exprimere, atque in hoc profectu suo illam Homerum authorem habuisse credo [a]. Nec vero in exigua narratiuncula consistere voluit divinum illud ingenium, sed amplius sibi spatium quærebat, et, inventa jam fabula, in ea personis et moribus tanquam partibus subjectivis suum locum ordinate distribuit: ante illum in singulis historiis et singulorum hominum laudibus poesin substitisse credibile est; nulla certe in omni antiquitate Epici poematis, quod legitimam magnitudinem et suas partes habeat, Homerum autem vetustate superet, vestigia reperio. Potuit ab aliis didicisse quantum in poesi valeat vitæ et morum adumbratio; mox facili pro suo ingenio progressu perspexisse crediderim quam arcto inter se vinculo colligantur Historia et mores hominum, et quantum illa aliis omnibus præstat Historia quæ una sit et sibi constet, et molem habeat

[a] Vid. *Præl.* 7.

non contemnendam, rerum autem seriem, personarum et morum varietatem ambitu suo complectatur. Eundem in finem Philosophia a Singularibus ad Universalia progreditur, ut uno circuitu multa concludat, et certis limitibus ea coerceat quæ inter se numero et specie discrepant, atque adeo menti humanæ magis gratam se præbeat et intellectu faciliorem. Ex his enim communibus omnis Scientiæ principiis quæstioni isti quæ historias spectat circa rem unam conscriptas responsum suggerit Aristoteles—*Διὰ τί ποτε τῶν ἱστοριῶν ἥδιον ἀκούομεν τῶν περὶ ἓν συνεστηκυιῶν ἢ τῶν περὶ πολλὰ πραγματευόμενων; ἢ διότι τοῖς γνωριμωτέροις μᾶλλον προσέχομεν, καὶ ἥδιον αὐτῶν ἀκούομεν; γνωριμώτερον δὲ ἐστὶ τὸ ὡρισμένον τοῦ ἀορίστου· τὸ μὲν οὖν ἓν ὥρισται· τὰ δὲ πολλὰ τοῦ ἀπείρου μετέχει*[b]. Ex iisdem principiis naturam ducem certo vestigio subsecutus Epicæ Poeseos fabulam instituit Homerus.

Mox eligenda erat sua fabula: quo quidem rursus in loco tanquam in re nova summa arte et judicio utendum erat. Potuit quidem totam seriem et Personas et Historiam de suo fingere: sed aversatur animus, vel saltem lenta cum suspicione excipit, illa quæ testimoniis omnino carent, neque audaciora illa recentiorum temporum commenta Heroicæ ætatis simplicitati congruunt: necesse erat itaque ex Historia materiam suam desumere. Historia autem triplex erat. Ex hac enim parte stabat illa quæ recens erat et ipsius Poetæ ætati æqualis, ex altera illa quæ summam antiquitatem attingebat atque adeo ex memoria hominum fere exciderat, ac

[b] *Problem.*, Sect. ιη.

denique illa quæ utrique media intercedebat. Jam antiquissima tempora a ficta Historia vix satis distabant. Historia tantis tenebris et sordibus obvoluta obscuram veritatis speciem præ se fert, atque exiguam aut nullam plane Poeticis carminibus fidem et authoritatem facit. Græcorum autem origines non tam fabulis quam monstris et prodigiis refertæ sunt, quæ ad exemplar vitæ exprimendum parum faciunt, nec vero a re poetica omnino abhorrent. Hæc enim sunt quæ mentem superstitione imbutam exagitant et terrent, quæ antiquitate sua verenda et religione, si Poetico spiritu induantur, non leviter in animis omnium insident. Exemplo sint Æschyli Prometheus, et ejusdem Eumenides, quas quidem Tragœdias religione ista jampridem ablegata non sine stupore quodam atque animi trepidatione perlegimus[e]; ille etiam cultioris et mollioris ingenii Euripides in Bacchis suis non absimile sibi argumentum habet; quin et ipse Aristoteles, si recte authoris mentem assequor, istiusmodi Tragœdiis quartum inter alias locum adscribit. Hæc non ignoravit Homerus, maluit tamen sparsim et ex parte hæc portenta operi suo intexere quam ex iis totum struere; recte enim et sapienter judicavit non ex illis constare proprium Epicæ Poeseos argumentum, sed veræ vitæ propius se admovere; neque parva est illa Poetæ laus, fortasse etiam quorundam qui ipsum antecesserant, artem suam a religione et superstitione in vitam et domos humanas deduxisse. Contra si in suis temporibus immoratus fuerit, pariter

[e] Addas licet ejusdem Phorcidas insigne hujus rei exemplum si de fabula deperdita conjectura fiat. Vid. *Aristot. Poet.*, c. 18; *Eratosthenis Catasterism*, 22; *Hygini Poet. Astronom.*, l. ii. c. 12.

laborasset. Cum enim Epica Poesis grandiorem et venustiorem aucupatur excellentiæ formam, quam quæ in communi vita passim conspicitur, pari consilio ab iis se avertit, quorum errores et vitia familiari nimis consuetudine comperta habemus. Cum illa imitatur, ut Aristotelis verbis utar, *βελτίονας τῶν νῦν*, pari lege ab hodierna scena se summovet, et antiquiòris ævi personas in suos usus trahit. Concedimus enim lubenter hanc veniam antiquitati, ut ea quæ fama tantum nobis cognita sunt sanctiora et augustiora habeantur. Sunt igitur Homerici Heroes non vulgaris notitiæ, non de plebe homines, sed iidem fere de quibus Virgilius :—

—"pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus
Diis geniti [d]."

Hi sunt quos ipse nuncupat—*Διοτρεφέας βασιλῆας*—*Ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν*. Et quidem rata jam lege, sive illud ex Homeri exemplo seu ex ipsa rei natura provenerit, Tragica et Heroica Poesis, quæ in meliori parte versantur, ad vetustatem ultro confugiunt, quæ autem Poeseos species in deteriori parte se exercent, Comicam dico et Satiricam, suæ ætatis vitia insectantur. Ea porro tempestate nondum frequenti commercio et arcta societate inter se usi sunt Græci, nondum crebris rumoribus et fama rerum ardebat Græcia : credibile est suis quemque annalibus contentum fuisse, exiguo rerum alienarum studio et scientia : in recentiori itaque Historia nimis ex parte et ex loco singula pendebant : quæ Athenis notissima erant et celeberrima possent esse Argivis vel ignota vel nullo in loco habita. Difficile erat in tanta omnium inscitia, in tanto singu-

[d] *Virgil*, l. 6.

larum gentium dissidio ea seligere quæ ad universam Græciam pertingerent et omnium animos occuparent; neque in Historia inter Trojanum bellum et ipsius Homeri ætatem quicquam reperio quod magni sit momenti et omnibus pariter commune. Prudenter igitur fecit Poeta, cum neque se ad summas antiquitatis tenebras ablegaverit neque ad vulgarem nimis recentiorum temporum historiam, sed ad eam ætatem quæ ab utroque extremo pariter distaret, neque ex hac parte ex memoria hominum exciderat, sed ita remanserat, et popularium suorum studio conservata fuerat, ut fidem facere possit et toti Fabulæ et singulis etiam personis et rebus gestis (siquidem non ex arbitrio poetæ sed ex monumentis nondum deletis pendere videntur tot accuratæ et distinctæ personarum, eventuum, et locorum descriptiones, et apta illa partium inter se consensio) neque ex altera parte ea dignitate et reverentia careat quæ unicæ antiquitati tribuitur. Habuerunt itaque Græci Agamemnonem et Achillem magni nominis et certissimæ memoriæ viros, quæ tamen personæ non ita vulgatæ erant, ut ab ipso Poeta refingi quodammodo et recudi non possent. Fas erat itaque ita illas in majus efferre ut Epicæ dignitati convenirent, nec vero authoritate et fide carerent; fas erat in singulis verbis et factis adhibere *αὔξησιν* illam, quæ cum ultra humani ingenii modum assurgere videtur, in sublimiori tamen poesi tantum valet, neque a naturæ veritate abhorret. Homerus autem non tam in formula ista—*Οἷοι νῦν βροτοὶ εἰσι*—quam per totum opus eam usurpat. Hujusce etiam rei principia sub quæstionis forma subtiliter eruit Aristoteles—*Διὰ τί ἡδόμεθα ἀκούοντες τὰ μήτε λίαν παλαιὰ, μήτε κομιδῇ νέα; ἢ*

διότι τοῖς μὲν πόῤῥω ἀφ' ἡμῶν ἀπιστοῦμεν· ἐφ' οἷς δὲ ἀπιστοῦμεν, οὐχ ἡδόμεθα· τὰ δὲ ἐγγύς, ὥσπερ ἔτι αἰσθανόμεθα, καὶ περὶ τούτων ἀκούοντες, οὐχ ἡδόμεθα[e]. In rebus nimirum valde dissitis oritur obscuritas, in rebus nimis propinquis scientiæ vulgaris contemptus. Ex hoc itaque seculo inter lucem tenebrasque medio eligenda erat fabula quæ una sit et justæ magnitudinis. Vulgata est illa Homeri laus particulam potius magni et diuturni belli decerpsisse quam in universo sese implicuisse, sed quod nunc agimus ex Trojano bello et Iliados et Odysseæ argumentum desumpsit, ex eventu nimirum omni Græciæ pariter communi. In hoc enim bellum et Græcia ipsa ab extrema Peloponnesi ora usque ad Thessaliæ et Macedoniæ fines commota est; in hoc et finitimas gentes, et colonias suas, quæ tum erant, concivit; in hoc positis tot singularum gentium odiis et inimicitiis per decennium consensit:—

> Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενὲς, ὀλβιόδαιμον,
> Ἦ ῥά νύ τοι πολλοὶ δεδμήατο κοῦροι Ἀχαιῶν[f].

Habuit itaque Trojanum bellum illud cum antiquissimis Græciæ originibus commune, non unius gentis aut loci fuisse, sed conjurati populi causam, quæ neque in obscuris singulorum monumentis latebat, sed fama atque ore omnium frequentabatur, atque omnium animos erectos habebat. Singuli enim reges et principes non tantum copias suas miserunt, sed ipsi præsentes adfuerunt; turpe erat in tanto omnium ardore domi desidere. Hæc Achillis præcipua erat gloria, malle fato et certæ morti

[e] *Aristot. Problem.*, Sect. ιη.

[f] *Il.* Γ. 182.

se opponere, quam tutum sed ignobile otium colere:—

> Εὖ νύ τοι οἶδα καὶ αὐτὸς ὅ μοι μόρος ἐνθάδ' ὀλέσθαι
> Νόσφι φίλου πατρὸς καὶ μητέρος· ἀλλὰ καὶ ἔμπης
> Οὐ λήξω πρὶν Τρῶας ἄδην ἐλάσαι πολέμοιο [g].

Itaque siquid de Heroüm familiis et stirpe conservandum erat et poetico ornatu decorandum, de quibus familiis magna fabularum moles ad nostra usque tempora delata est, facile erat locum et occasionem invenire; siquid etiam de populorum originibus dignum erat, quod in posterorum usum carminibus traderetur, in promptu erat etiam hanc rem attingere. Adeo illi in Trojano bello versanti omnes antiquioris Græciæ thesauri patebant; fas erat ex religione et historia vel totius Græciæ vel singularum civitatum ea delibare quæ ex usu sient. Ipsa urbis oppugnatio locum dabat illis quæ politici vel bellici sunt juris. Ex reditu Ulyssis in patriam civilis vitæ norma et domesticæ consuetudines aperiendæ erant. Hæc militari gloriæ et imperatoriis virtutibus inserviebat fabula. Hæc spectatæ prudentiæ et exercitæ malis fortitudini. Denique non Græciam tantum sed totum fere vitæ humanæ ambitum multiplex Trojani belli fortuna complexa est. Rursus illud Trojani belli proprium est, ad eam ætatem pertinere in qua audaci nisu a barbarie ad humanitatem vitæ assurgebant Græci et magnis conatibus se accingebant [h], in qua ardorem illum animi qui postea tam clara luce effulsit conceperant et jam prima vice voces suas tentabant, ad eam ætatem in qua egregias illas dotes a natura datas exserere et cultu promovere didicerant homines, nec vero adhuc a simplicitate naturæ et integritate

[g] *Il.* T. 421.

[h] Vid. *Præl.* 2, &c.

vitæ desciverant, fervebant omnia studio et audacia et magnis consiliis. Ipsi etiam fortunæ casus et in privatis familiis et in rebus publicis varii erant et magni. Florebat jam tum Pelopidarum domus infortuniis suis toties celebrata. Florebat Perseidarum stirps tot regum et principum virorum genetrix. Eminebat simul, ut Pindari verbis utar, Τηλαυγὲς φέγγος Αἰακιδᾶν. Quin, ut ad publicos eventus redeamus, non contemnenda prælia circa Thebas Septem Duces et eorum Epigoni commiserunt, minora quidem illa bello Trojano nec tam universæ Græciæ communia, sed tamen pro istis temporibus permagna. Ex hac materia intra unum seculum congesta multa erant decerpenda quæ ad ornatum et varietatem carminis transferri possent. Ipsum etiam Trojanum bellum et Græcorum reditus qui bellum subsecutus est non tantum per se multa varietate fortunæ et magna rerum mole abundabat, sed alios etiam eventus progenuit, qui regum familias et Græciæ populos proxime tangebant; ex belli diuturnitate et reditus mora proveniebat rerum novarum studium :—

"— devictam Asiam subsedit adulter[i]."

proveniebant seditiones quæ civitates et reges vexabant et utrosque a sedibus suis deturbabant, adeo ut migrandi studio iterum laboraret Græcia, et in medio suo progressu diu hæreret vel potius gressus referret[k]. Ita ex omni parte Trojani belli seculum in Poetæ usus uberrimam copiam profundebat, et Græcorum animos sua sponte attentos habuit. Subsecuti sunt Tragici Poetæ Ducis sui et Antistitis exemplum, quorum tamen intererat studiose ea ex-

[i] *Virgil.*, xi. 268. [k] *Vid. Thucyd.*, lib. i. sub initio.

quirere quæ suorum animis adblandiri et affectus commovere possent: illi adeo in eodem seculo prorsus immorati sunt, nec nisi gravi aliqua de causa illud deserere ausi sunt, tanquam historiæ particulam sublimiori poesi apprime accommodatam et magnis eventibus locupletem et suorum auribus gratissimam. Eleganter hanc rem attingit Antiphanes vel Aristophanes Comicus, dum Comœdiæ vicem conqueritur quæ his subsidiis caret, et Tragœdiæ fortunas laudat, quæ in istiusmodi fabulas paratos semper habuit auditores:—

— Μακάριόν ἐστιν ἡ Τραγῳδία
Ποίημα κατὰ πάντ'· εἴγε πρῶτον οἱ λόγοι
Ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσιν ἐγνωρισμένοι
Πρὶν καί τιν' εἰπεῖν, ὡς ὑπομνῆσαι μόνον
Δεῖ τον ποιητήν· Οἰδίπουν γὰρ ἄν γε φῶ
Τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λαΐος,
Μήτηρ Ἰοκάστη, θυγατέρες, παῖδες τίνες,
Τί πείσεθ' οὗτος, τί πεποιήκεν· ἂν πάλιν·
Εἴπῃ τις Ἀλκμαίωνα, καί τὰ παιδία
Πάντ' εὐθὺς εἴρηκεν, ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε
Τὴν μητέρ'. . . . .
Κἄπειθ' ὅταν μηδὲν δύνωντ' εἰπεῖν ἔτι,
Κομιδῆ δ' ἀπειρήκασιν ἐν τοῖς δράμασιν,
Αἴρουσιν ὥσπερ δάκτυλον τὴν μηχανὴν,
Καὶ τοῖς θεωμένοισιν ἀποχρώντως ἔχει.
Ἡμῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἐστὶν· ἀλλὰ πάντα δεῖ
Εὑρεῖν, ὀνόματα καινὰ, τὰ διῳκημένα
Πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφὴν,
Τὴν ἐσβολὴν· ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ,
Χρέμης τις ἢ Φείδων τις ἐκσυρίττεται,
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἐξέστι, καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν[1].

Nec vero ab aliis temporibus neque ab alio eventu argumentum suum desumpsit Virgilius magno arti-

[1] *Ex Athenæi,* lib. 6; Vid. etiam *Casauboni notas in locum.*

ficio ad Romani imperii origines et Augusti Cæsaris stirpem hæc omnia transferens.

Quæ cum ita sint, in ipso jam statim fabulæ suæ delectu magno et suis et aliis documento erat Poeta, neque difficile erit jam in ipso limine Homericæ Poeseos usum agnoscere. Quod ipsos Græcos attinet, non illud dico, quod magnifice sed temere quidam effutiunt, Homerum in Iliade sua mutuas Græcarum civitatum inimicitias et odia respexisse, et in concordiam revocare voluisse, ita ut conjuncta vi imperium in alios affectarent. Hoc est in alia prorsus tempora Homerum transtulisse; nondum enim inter primarias civitates exorta erat invidia ista quæ Græciam tot bellis exagitavit, nondum pro principatu Athenæ et Sparta certamen inierant, neque illa dominationis lubido vitæ simplicitatem infecerat, et rei Politicæ astutiam induxerat. Jam multis post Homerum seculis non alias concertationes experta est Græcia quam finitimarum civitatum de finibus suis subitas et tumultuarias dimicationes uno aut altero prælio diremtas; nulla erant in longinquum fœdera, neque bella in longum prolata. Ita Græciam non inepte sub initio belli Persici describit Mardonius, apud Herodotum —*καί τοι ἐώθασι Ἕλληνες (ὡς πυνθάνομαι) ἀβουλότατα πολέμους ἵστασθαι, ὑπό τε ἀγνωμοσύνης καὶ σκαιότητος· ἐπεὰν γὰρ ἀλλήλοισι πόλεμον προείπωσι, ἐξευρόντες τὸ κάλλιστον χωρίον καὶ λειότατον, ἐς τοῦτο κατιόντες μάχονται*[m]. Non itaque Iliada ad Politicam scientiam eo usque pertinere arbitror; potuit tamen Homerus vel in hoc rerum statu exempli loco conjuratæ Græciæ opus

[m] Lib. vii. c. 9.

suis commendare, cum ipse, ut videtur, hanc rem intenta contemplatione perlustraverit, et attonitus in ea hæreret. Utile esset vel inculto populo illud compertum habuisse, posse Græciam vires suas in unum conferre, posse conjunctis copiis rem agere, modo principes eorum ex hac parte legitimæ authoritati se submittere non recusarent, et ex illa authoritatem sibi demandatam prudenter et moderate administrarent: principum enim virorum potius quam civitatum inimicitias Homerum respexisse credibile est; inter illos tum temporis intercedebant invidia illa et odia quæ malo fato postea ad populos transierunt; illorum erat principatus et gloriæ et dominationis, siqua erat, cupido, et quidem ex principum suorum ambitione et rabie ea quæ tum Græciam vexabant conflata sunt bella. Mycenas premebant Pelopidarum et Heraclidarum odia. Thebarum mœnia non uno bello circumdederat Œdipi male ominata domus. Horum igitur ingentes spiritus moderandi erant, et in melius conformandi. Illud etiam ex fabula Homerica a Græcis hauriendum erat, quid possit patientia in longum durans et perpetua longi belli administratio; nondum enim ex consilio bellum gerere didicerant. Accedebat, si Odysseam spectemus, ejusdem patientiæ, fortitudinis, et consilii in uno homine exemplum—"spectaculum Deo dignum" et in temporibus formidinis ac periculi plenis utilissimum. Rursus ex Homeri operibus illud innotescere potuit, Historiam tam eam quæ populorum statum et res gestas exponit, quam quæ principum virorum vitas, dignam esse quæ conquiratur et conservetur, ut ex ea et exemplum vitæ depromere possint homines, et de rerum eventu judicium et conjecturam faciant. Neque poetam

fefellit sua spes, jam enim ex his temporibus certiorem et stabiliorem habemus Historiæ rationem; sed sine literarum et scriptorum monumentorum ope neque ipsius Trojani belli neque cæterarum ejusdem ævi rerum et personarum memoria stare potuisset. Initium erat itaque Historiæ Epica poesis cum tantam rerum seriem versibus consignaverit. Quin et ex Homeri carminibus mores et studia Græcorum efficta fuisse videntur, dum illa exempli loco ante oculos habebant, et sensim in vitam transferebant. Recentiores certe Athenienses non obscure referebant illius peritiæ et expeditæ solertiæ imaginem quam Menestheo Atheniensium duci tribuit Homerus; illis deferebatur palma siquid ex mera disciplina aut artis calliditate strenue et gnaviter agendum esset; illi in rebus nauticis, in oppugnandis castris et urbibus præcipui erant, et cæteris viam præmonstrabant. Vereor quidem hæc omnia Homero tribuere; constat tamen hoc ejus testimonium omnibus in ore fuisse, et publicis rebus se immiscuisse. Hoc sibi argumentum habuerunt, qui in maximo Græciæ periculo solenni legatione Gelonem adierunt[n]. Ipsa etiam civitas publico decreto, cum Cimonis victorias in ora Thraciæ columna et inscriptione donandas esse censuit[o], Homeri versus citavit, et ex iis sibi laudem struit. Argivi etiam tam in Persico quam in Peloponnesiaco bello eum sibi principatum asserere voluerunt, qui in Homeri temporibus Agamemnoni regi suo delatus est[p]; vano quidem illi et irrito conatu, nec tamen toties spe deturbati a consilio absiste-

[n] *Herod.*, l. vii. c. 151.

[o] Vid. *Plutarch. Vit. Cim.*, et *Æschinis Orat. contra Ctesiphont.*, c. 62.

[p] *Herod.*, l. vii. c. 138, &c.; *Thucyd.*, l. v.

bant. Tanti erant in publicis rebus Homeri auctoritas, exemplar scilicet et institutio Græciæ, si a Thucydide mutuari fas sit magnificam illam appellationem qua Athenas suas auget Pericles[q].

Sed ut Græciam missam faciamus, ad seros etiam nepotes eadem disciplina pertinet. Nos etiam ex eadem ætate et eadem fabula erudiendi sumus, sive illis in historia suum locum adsignemus—ex qua parte ad populum spectant fortunis suis et scientiis et artibus et magnorum virorum proventu præ cæteris nobilitatum, et ad eum populum in primo gloriæ suæ limine hærentem et vixdum cursum ingressum, adeo ut ex illis initium Græcæ historiæ recte sumendum sit, ita etiam ad eum populum spectant Homeri carmina ut privatæ et publicæ vitæ rationem nobis explicent—seu quod potius est etiam ulteriorem hinc fructum speremus, quatenus ad mores et universam vitam humanam referri possunt, et ad illum vitæ statum qui difficilis est et obscuræ plerumque scientiæ, magno tamen documento esse potest, in quo scilicet ex incultæ vitæ situ et sordibus prodibant homines, et audaci nisu sese efferebant. Veram igitur habemus et sinceram humanæ mentis imaginem, eo qui magnis rebus sufficiat apparatu instinctæ, nec vero a natura in consuetudinem et commentitios mores delapsæ. Alia tempestate vel in barbarie delitescunt humani ingenii vires, vel nimia arte elaboratæ fictam quodammodo personam gerunt.

Hanc igitur laudem jam in ipso introitu poetæ adjudicamus, formam illum et stabilitatem Epicæ poesi dedisse, cum ex fabula illam pendere voluit,

[q] *Thucyd.*, l. ii. c. 4.

et cætera ejus membra in hoc quasi corpus compegit; prudenter denique fecisse cum ex ea ætate argumentum sibi desumpsit, quæ et indole sua et fortunis memoria dignissima erat; nec minus in ipso fabulæ delectu et suæ ætati et posteris consuluisse.

PRÆLECTIO DECIMA-QUARTA.

VIDIMUS jam in ipso introitu secundæ hujusce partis argumenti nostri, qua animi magnitudine atque acumine operi suo se accinxit Poeta, ita ut sublimiorem et ampliorem Poeseos speciem sibi fingeret, quæ ex Historia fabulam suam derivandam sumeret, propria autem arte eam componeret. Vidimus etiam quo judicio ex suorum temporum historiis materiam suam deprompsit. Proximum est in ulteriori operis sui progressu eundem sequi, fabulæ istius conformationem et partium ejus distributionem ante oculos ponere, quæ quidem tota res ad Aristotelis definitionem tanquam ad normam exigenda est, ad illam dico quæ ad Tragœdiæ et Epicæ Poeseos fabulam pari fere jure spectat. Est enim utraque, ut ipsius verbis utar, *μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης*[a].

Jam vero in cæteris Poeseos generibus, et in rebus fere omnibus, gradatim ad finem pèrventum est. Tragœdia ex sacris hymnis et choris Satyricis lente sese explicuit[b]. Authore Thespide una persona aucta est, et Dramaticam quodammodo formam assecuta est. Phrynichus et Æschylus eandem *εἰς μύθους καὶ πάθη* (Plutarchi[c] verba sunt) produxerunt.

[a] *Aristot. Poet.*, c. 6 *et* 28.

[b] Ibid., c. 4.

[c] *Plutarch. Symp. Probl.*, l. i. c. 1. *Vid. etiam Suidam in v. Φρύνιχος.*

Horum alter duas personas atque adeo novam fabulæ dignitatem addidit [d]. Sub Sophocle tandem et Euripide consummata est. Unus Epicam poesin Homerus et primus animo concepit et proprio marte absolutam dedit.

Sed ad propositum redeo, ut ex Aristotelis definitione fabularum Homericarum ac primo Iliados explicationem eruamus, quem in finem et universa ejus forma ac denique formæ istius incrementa investiganda sunt.

Fingamus itaque Poetam ita de fabula sua consilium cepisse, ut primo de justa ejus magnitudine sibi statuendum esse judicet. Est enim imitatio Actionis ἐχούσης τι μέγεθος [e]. Ex hac itaque parte operi norma et regula danda erat, et limites disponendi, neque enim quisquam tuto aut facile magnum et legitimum opus suscipit, nisi qui totius naturam animo præmeditatam et perspectam habeat. Homero autem novam rem tentanti nullo viæ duce aut magistro omnia in difficili loco posita erant. In hac ipsa quæstione caute et prudenter sententia erat ferenda, et ex intima animi et vitæ humanæ notitia elicienda. Viderat in historico, si ita loqui fas sit, Poeseos genere sibi versandum esse, in eo genere quod ex narratione pendeat, et otioso lectori in manus veniat. Nec vero reformidat animus jam vacuus et curis liber longam narrationis seriem et varios fortunæ casus, modo ita secum totum opus constet, ut partes invicem distinctas habeat, atque ita comparatas, ut facile sit vel eas inter se committere, vel ab una ad aliam transire. Gaudet potius et oblectat sese, dum multarum rerum longum ordinem agnoscit et complectitur. Est enim

[d] *Arist. Poet.*, c. 4.

[e] Ibid., c. 7.

illud miræ dulcedinis facultatum nostrarum sine tædio et labore vim sentire et eas in usum suscitare. Contra autem quæ coram ante oculos prodeunt, vel quæ ab aliis ore tenus accipimus animum habent minus vacuum et solutum atque ea ipsa de causa intra angustiores fines se concludunt; illa nempe animi intentio quæ ad rei præsentiam et ad aliorum arbitrium se movet, quo major sit, eo citius remissionem sibi et laxamentum quærit. Quæ itaque inter legendum jucunda sunt et intellectu facilia auditorem sæpenumero vel nimis exercent, vel ei fastidium movent. Atque hinc exoritur Epicæ Poeseos *πολυμυθία* quam vocant, vel honestiori nomine *μεγαλοπρέπεια*[f]. Utcunque tamen in hac re a dramatica distet, habet tamen Epica Poesis suos fines quos transgredi non datur; fas est illi quidem varietate rerum et numero animum occupare et complere, cavendum est tamen ne mole sua lectorem opprimat. Fines autem ex nobili illa Aristotelis regula assignandi sunt, quæ in universa natura et in omnibus artis operibus suam vim habet—Ὁ *δὲ κατ' αὐτὴν τὴν φύσιν τοῦ πράγματος ὅρος, ἀεὶ μὲν ὁ μείζων, μέχρι τοῦ σύνδηλος εἶναι, καλλίων ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος*[g]—atque hanc ut solet non suam sed naturæ legem esse pronuntiat Aristoteles; neque enim est Critici artis leges de suo invenire, sed eas quæ in rebus latent, et in vita furtim se produnt, aperire et asserere; illi etiam ut cæteris omnibus veræ philosophiæ cultoribus in penetralia artis suæ ex Analysi et "Inductione vera" aditus datur. Non igitur obstat Epicæ Poesi operis magnitudo modo eam uno intuitu a principio

[f] *Arist. Poet.*, c. 24. [g] Ibid., c. 7.

ad finem acies mentis perlustrare queat; non illi officit partium numerus et diversitas modo omnes ex uno stemmate proveniant et ad illud facile revocari possint; pari jure in iis quæ sensibus objiciuntur, spatium prospiciendi quærimus, et magnum rerum numerum cum oblectatione percurrimus, modo ne incompositæ jaceant et distantia sua indistinctæ sint. In auxilio autem sunt Epico poetæ cur plura quam cæteri plerique complectatur non tantum legendi otium sed et intervalla ista, quæ in hoc scribendi genere frequentia sunt—in quibus si scite interponantur, dum sistit animus, colligit ac rursus inter se committit ea quæ perlegerit, atque adeo magis tuto et fidenter ulteriorem progressum tentat: ita enim est in omni Scientia; ab una re satis perspecta ad aliam transimus, donec totum cumulum conficimus, sæpe tamen in vestigia revertendum est, sæpe repetenda sunt et colligenda ea quæ summa cum diligentia antea tractaveris, aliter in perpetua rerum continuatione hæret animus et laborat. Eundem in finem, quatenus fieri potest, recensendo argumenta sua, orationi intervalla interponit Orator, in quibus conquiescat paululum auditor et repetat ea quæ didicerit, mox ad id quod reliquum est revocetur, atque ita non recuset Orationem in longum prolatam. Atque hoc artificium cum in dramatica imitatione vix ullum locum habet, inter narrandum tamen et ratiocinandum semper adhiberi potest, in Epica autem poesi quam maxume.

Homero itaque ex his principiis fabulæ suæ statuendus erat modus. Hos autem limites longe exsuperabat Trojani belli diuturnitas: difficile est integri decennii spatium vel modico ambitu conclu-

dere, vel crebris actionibus frequentare. Quin et illud partes habuit laxe nimis et solute inter se devinctas. Hinc finitimæ regiones, ut ex ipsius Homeri testimonio patet, Græcorum incursionibus vexatæ sunt et devastatæ:—

> Δώδεκα δὴ σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ' ἀνθρώπων
> Πεζὸς δ' ἕνδεκά φημι κατὰ Τροίην ἐρίβωλον[h].

Hinc in Chersoneso consederunt Græci et in agris colendis se exercebant[i]; præ inopia denique copias suas dispertiebant[k]: credibile est etiam in diuturno bello et in ista bellandi inscitia totos menses vel etiam annos intercessisse, in quibus nihil acciderit memoratu dignum. Si itaque ad historiæ fidem se totum composuisset, in frigida narratione substitisset; si pugnarum intervalla de suo refersisset, illud esset et historiæ fidem labefactare, et suis commentis se ipsum implicare. Dixerit fortasse aliquis potuisse se ad finem belli et ad urbis excidium contulisse, ad supremum scilicet Trojæ laborem, tanquam ad rem sua natura lugubrem, hinc civium Trojanorum cæde et infortuniis, hinc Græcorum triumphis et gloria insignem; quæ denique summatim in uno libro attigit Virgilius toti Iliadi sufficere potuisse. Sunt tamen etiam ex hac parte quæ Poetam impedirent potius quam adjuvarent. Est enim nimis perturbata illa Actio quæ tot partes habet uno fere momento peragendas, neque in ipso urbis excidio reperio commune aliquod vinculum cujus ope cætera inter se colligari possent, neque personam istam quæ magni exempli vim haberet, et præ qua ceteræ omnes secundas partes agerent. Occubuerat ille magni nominis et præcellentis vir-

[h] *Il.* I. 328. [i] *Thucyd.*, l. i. c. 11. [k] Ibid.

tutis Achilles. Præterea, id quod maximum, est personarum et morum differentiis exprimendis deesset locus et occasio, quibus tamen demonstrandis inservit Fabula, et túm veri pretii est, cum Ethicæ disciplinæ quam latissime patet. In urbis expugnatione omnes fere idem agunt, adeo ut unicæ rerum descriptioni locus sit, quæ quantilla pars est sublimioris Poeseos nemo non videt qui in veterum scriptis versatur. Hoc Homerus tam penitus intellexit, ut in Odyssea sua vix unquam Episodii loco hanc belli partem usurpet, neque unquam in illa diu immoretur. Et certe vix ea erat morum distinctio quæ Tragœdiæ sufficeret; ut ex Euripidis fabulis quæ Hecuba et Troades inscribuntur satis patet. Virgilius qui in uno libro hanc rem inclusit, prodigia tamen admiscuit, qualia sunt Laocoontis mors, et cætera minoris notæ portenta. Sed Homero desumenda erat fabula quæ non formidinis et stragis plena sit, sed in qua vitæ humanæ exemplar repræsentari possit. Quapropter sapienter statuit ex medio belli partem aliquam sibi decerpendam esse, quæ neque in se parva esset, neque ea incrementa recusaret, quæ destinato operi convenirent, quæ istiusmodi sit, ut augeretur potius Poetæ artificio quam nimia sua mole illum obrueret. Decerpsit autem sibi particulam istam, quæ cum paucorum sit dierum tamen in se belli summam videtur quodammodo continere, ex altera parte principium et originem ejus proxime tangens, ex altera ad exitum ejus tanquam ad scopum recte collimans. Est quidem totius rei ἀκμὴ. Principio belli affinis est, quoniam non nisi decimo anno ex Calchantis vaticinio finem laborum suorum expectabant Græci, cætera erant belli præludia; ad totius

exitum proprio jure spectat, non enim diu post occisum Hectora sustentanda erat res Trojana, quod quidem in ultimo versu suo eleganter neque obscure mihi videtur innuere Poeta :—

Ὣς οἵγ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.

Iterum quidem ut fama accepimus Penthesileæ et Memnonis adventu decertatum est; iterum ut ex Homero[l] discimus occiso Achille audaciores facti sunt Trojani et nova prælia tentaverunt, sed hæc certamina cito in irritum cesserunt :—

— οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ[m].

Nec vero alio tempore animis magis arrectis et audaciori spiritu in certamen prodierunt utrique, dum cæteri duces ægre tulerunt sine Achille stare non posse conjuratæ Græciæ causam, atque æmulo cum ardore eum in finem enitebantur ut suo Marte hostes intra mœnia compellerent, Trojani autem occasionem datam avide arripiebant, in qua bello finem se imposituros esse sperabant. Itaque in ipso congressu et in conciliis nihil utrinque intentatum est. Porro cum personarum quæ in Iliade usurpantur tam dispar sit habitus et tam diversi mores, singulis tamen suum seorsim munus adscribitur, inter deliberandum et Nestoris prudentia et Ulyssis solertia locum habet, inter pugnandum et Diomedis ardens spiritus et Ajacis indomita ferocia. Habet insuper in se Ilias rerum seriem quæ non tantum ipsæ numero variæ sunt et specie diversæ, sed omnes etiam ad unum finem referri possunt, et ad Achillem tanquam ad centrum suum spectant. Tandem igitur aliquando ad illud Aristotelis testimo-

[l] *Odyss.* Λ. 512, &c.; Ω. 36, &c.

[m] *Il.* Ζ. 403.

nium deveniamus qui cum laudis plerumque valde parcus sit, Homerum tamen cum nominat, tanquam authoris excellentia commotus, in effusius præconium semper prorumpit.—Διὸ, ὥσπερ εἴπομεν, ἤδη καὶ ταύτῃ θεσπέσιος ἂν φανείη Ὅμηρος παρὰ τοὺς ἄλλους, τῷ μηδὲ τὸν πόλεμον καί περ ἔχοντα ἀρχὴν καὶ τέλος ἐπιχειρῆσαι ποιεῖν ὅλον· λίαν γὰρ ἂν μέγας καὶ οὐκ εὐσύνοπτος ἔμελλεν ἔσεσθαι· ἢ τῷ μεγέθει μετριάζοντα καταπεπλεγμένον τῇ ποικιλίᾳ[n]. Tanta cum prudentia, fabula sua jam inventa, de justa ejus magnitudine statuit Homerus, ita ut in condendis viginti et quatuor Iliados libris neque rerum proventum desideret, neque earum multitudine obruatur. Nec vero non omnia conveniunt illi Poetæ consilio quo in Iliade conscribenda ea quæ in publica suorum temporum vita maxima erant exhibere, atque in aliorum usus explicare voluit. Quæ enim tunc erat politica disciplina et militaris virtus fere tota intra hanc belli particulam cadit, ut ex iis quæ jam antehac disputata sunt satis patet[o]; nondum in usu erat consilia in longum capere, sed prompta animi solertia, parata prudentia, et præsenti fortitudine res gerebatur. Illud etiam huc trahi potest, in quo omnis Tragicæ Poeseos vis et verus usus cernitur; illa enim non in infortuniis optimorum hominum, in iis saltem quæ ex ipsa illa virtute profluunt, immoratur, ne tam indignum et atrox spectaculum aversetur animus; neque vero criminum pœnas et flagitiosorum hominum supplicia exponit, quibus tanquam justis parum commovemur; multo minus eorundem prosperam fortunam exquirit, quæ si

[n] *Arist. Poet.*, c. 23.

[o] Vid. *Præl.* 3.

honestum aliquem sensum suscitet, indignantem habet auditorem; ibi vero demum feliciter se exercet, ubi in magnis magnorum hominum erroribus versatur. Hinc enim discamus licet quam omnis humana virtus et egregia animi facultas in præcipiti posita est, quam periculosum est etiam in iis quæ optima sunt modum exsuperare et justos limites transgredi; discamus licet ex aliorum miseriis quanta cum prudentia optimæ naturæ dotes, et maxima fortunæ dona temperanda sunt. Insigne hujus rei exemplum subministrat Homeri Ilias. Ex ira Achillis et ex fastu Agamemnonis, principum utrorumque virorum sive conditionis dignitatem seu mentis facultates respicias, proveniunt Græcorum mala et totius exercitus periculum. Ex hac itaque parte ardens magni animi spiritus modum exsuperat, ex illa regis authoritas et dignitas in superbiam cedit. Horum autem alterum habes sub fine Iliados in amici charissimi funere occupatum, alterum exercitus clade et fuga dehonestatum. Tanti est recti justos limites servare, quos si semel transgressus fueris nihil jam ultra tutum est aut firmum. Tanti est pretiosissimis naturæ et fortunæ donis sapienter uti. Ita certe hæc comparavit Poeta, ut saperent et averterent se ab his malis posteri. Hac itaque ratione magnum et grave operis sui argumentum habuit Homerus.

Sed oportet insuper fabulam unam esse et perfectam—τελείας καὶ ὅλης πράξεως μίμησιν[p]—hoc est, ut Totum sit in suas partes facile resolvendum. Definitur autem id quod Totum est philosophice, species quædam istius quod Unum est, ita ut plura

[p] *Aristot. Poet.*, c. 7.

habeat quæ in se existunt—ἕν τι ἐκ πλειόνων ἐνυπαρχόντων[q]—has autem partes necesse est positionem inter se habere. Quod enim partium tantum congeriem habet recte apud Græcos distincto nomine vocatur τὸ πᾶν, pari modo vocem, τὸ κόλοβον, quod mutilum est, non de quovis usurpamus, sed de illo quod Totum est, et ex partibus componitur quarum singulæ inter se positionem habent[r]. Erit igitur Totum artis opus aliquod, si ex principio, medio et fine rite ordinatis et inter se compositis constet. Aristotelis explicationem respicio quo nihil verius aut magis accuratum[s]. Omnis, inquit, pulchritudo et elegantia ex duabus rebus pendet, ex totius magnitudine et ex partium ordinatione, τὸ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστὶν[t]. Magnitudinem attigimus, nunc partium dispositionem quatenus totum quiddam complent videamus. Sit igitur necesse est principium seu punctum in quo tanquam in illo quod primum est consistat animus, et unde cursum suum incipiat, quo igitur nihil natura prius est, saltem qua operis nostri principium est, quod etiam ad cætera causæ locum habere debet, ita certe comparatur, ut ab illo ad alia progredi possimus. Contra peracto jam cursu suo aliud punctum requirit animus, in quo tanquam in fine conquiescat, quo nihil natura posterius est, cum ad ea quæ præcesserint effectus locum habet, atque istius quod ultimum est. A Principio autem ad Finem deveniendum est per illa quæ utrique intercedunt, quæ omnia ab hoc tanquam a causa

[q] *Aristot. Metaphys.*, l. iv. c. 26.

[r] Ibid., c. 27.

[s] *Aristot. Poet.*, c. 7.

[t] Ibid.

profluere, et ad finem tanquam ad effectum spectare debent; quæ quidem pro operis magnitudine numero differunt, sed eorum congeriem vocat Aristoteles Medium, atque ita definit, ut natura et id quod prius et id quod posterius sit habeat. Quod vero trium horum alterutro careat communi sermone imperfectum, mutilum vel hians dicimus. Atque hac lege obstringuntur omnia quæ animum oblectant aut erudiunt. Ita in Geometria figurarum et magnitudinum terminos requirimus. Linea autem ipsa vel figura terminis hisce media intercedit. Ita in historiis perlegendis rerum causas exploramus et in magno aliquo eventu tanquam in fine tandem consistimus. Ita in corpore animali extremorum et medii debitam inter se rationem contemplamur. Eadem sua sponte vel iis similia in artis operibus, in Pictura, in Sculptura, et in Architectura aucupatur animus, et illis intuendis oblectatur. Neque vero Oratorem ferimus qui non hunc ordinem servat, de qua re Plato vix aliis quam Aristoteles verbis—*Ἀλλὰ τὸ δέ γε οἶμαι σε φάναι ἄν, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῶον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὐτοῦ· ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι, μήτε ἄπουν, ἀλλὰ μέσά τε ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντα ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα*[a]. Non jam dico quibus ex principiis hoc explicandum sit, certo tamen et ex multiplici experientia constat neque quicquam discere posse mentem humanam, neque istius oblectationis quæ ex anima rationali profluere videtur vel minimum capere, nisi partes hasce inter se devinctas et rite dispositas agnoscat. Illud fere semper agit inter contemplandum ut vel

[a] *Plat. Phædr.*, p. 1233. *Edit. Ficini.*

distinctas partes colligat et eas in unum componat, vel totum quiddam in partes suas scindat. Hinc philosophiæ viam struit dum res individuas sub universalibus distribuit. Hinc in Geometria Propositiones et Theoremata inter se confert eum in finem ut totum systema compleat. Hinc Historiæ et Poetices argumenta ita componimus ut a causa ad effectum progrediamur, atque isto sub intuitu totam rem complectamur: pari modo ipsius naturæ opera contemplamur si forte eruamus ea vincula quæ ista in unum corpus compingunt. Sed ex hac parte infinita fere disceptatio patet. Nobis huic rei illustrandæ sufficiat, qua non aliud pulchrius exemplum facile reperias, Homeri Ilias.

Sed ut hoc accurate excutiatur universa operis forma in mentem revocanda est. Ita igitur demptis personarum et temporum differentiis exponatur illud quod vocat Aristoteles *τὸ καθόλου*.

Longa obsidione premitur urbs magni imperii metropolis. Ea a civibus suis pertinaciter defenditur. Oppugnatur contra a numeroso exercitu ductu principum quorundam inter se conjuratorum, qui cum omnes apud suos summa sunt potestate in belli tamen usus communi consensu uni Imperatori parent. Durante bello casu quodam inter Imperatorem huncce et unum ex principibus qui virtute bellica et animi elatione cæteris omnibus præcellit exoritur controversia. Hinc authoritate sua Imperator in alterius injuriam abutitur, ille contra ira atque odio incensus ab acie se et suos subducit, specie saltem in patriam reversurus. Cæteri in incœpto perstant, et hostes adoriuntur. Illi in campum prodeunt. Atrox pugna commissa est. Varia fortuna utrinque concertatum est, intra paucos dies

omni fere bellandi generi quod tum in usu erat opportunitas datur, nunc certamine singulari, nunc aperto prælio, mox insidiis et noctu res geritur. Tandem oppugnatores in fugam conversi sunt et pulsi campo castra et naves petunt. Ibi demum ad extremum periculum deventum est, dum pergunt victores ipsam spem reditus hostibus intercludere et naves ipsas flammis comburere. Victi in iisdem conservandis fortiter se exercent. Interea ille qui ab acie se subduxerat pugnæ eventum attento animo expectabat, et inclinatis jam rebus amicum sibi carissimum in oppugnatorum castra mittit, eo prætextu ut de ducis cujusdam vulnere se certiorem faceret. Redit ille post paulum suorum lachrymis et precibus non mediocriter commotus, et in ipso illo quod modo descripsimus temporis articulo principem suum rogat, ne ulterius iræ indulgeat, neque sociis in summo periculo laborantibus suppetias ferre recuset. Ille memor adhuc acceptæ injuriæ ita tamen cedit, ut amicum suis armis et suis copiis instructum in pugnam mittat. Is lapsas sociorum res restituit, atque hostes prælio profligatos ad urbis mœnia persequitur, ibi redintegrata pugna ipse cadit. Nuncio autem ejus mortis ad amicum delato, non jam amplius ira erga suos sed erga hostes vindictæ cupidine animum inflammatum gerit. Redit itaque in certamen acer atque ultionis impatiens, nec nisi multorum strage et præcipue ducis hostium cæde, cujus manibus amicus ejus cecidisset, satiatus castra repetit. Hostes effusa fuga in urbem pelluntur et mœnibus se tutantur. Quod superest, peraguntur ex utraque parte occisi ducis exequiæ.

Hæc igitur nuda atque simplex narratio totam

Iliada complectitur. Utcunque enim magnæ sint atque numerosæ ejus partes nihil est quod non sub hac cadit, facile igitur tota res simul sumpta in conspectum revocari potest, facile illam vel totam perlustrare valet mens humana, vel ab una ad aliam partem se transferre. Nullus hic memoriæ nisus; in promptu sunt omnia et paratissima. Ac primo statim illud patet ex unius hominis iracundia, Achillis scilicet, cuncta profluere neque extra illam terminari. In hoc cardine omnis res versatur. Hoc communi vinculo singulæ partes inter se colligantur et in unum corpus componuntur. Est igitur una atque simplex Actio. Est etiam perfectum et Totum quiddam in suas partes distribuendum. Habet enim Principium suum. Causa etenim iracundiæ istius, accepta scilicet ab Agamemnone injuria, recte istius puncti vicem habet, in quo tanquam in initio magnarum rerum consistat animus, neque quicquam quod prius sit requirat:—

Ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε
Ἀτρείδης τε ἄναξ ἀνδρῶν, καὶ δῖος Ἀχιλλεύς [x].

Certamina rursus inter Græcos et Trojanos commissa, concilia utrorumque, et Trojanorum res secundæ operis mediam partem seu corpus complent, et ab iracundia ista tanquam a principio seu causa proveniunt. Sed hæc quoque seriatim procedunt, et ulteriorem terminum spectant. Ex Trojanorum victoria exoritur Patrocli erga Græcos misericordia, sequitur ejus in pugnam exitus, mox ejusdem mors. Hinc Achillis ira in vindictæ cupidinem cedit, sequitur ejus exitus, Trojanorum fuga et ipsius Hectoris cædes, in quo demum eventu conficitur tota

[x] *Il.* A. 7.

res. Desæviit tandem Achillis rabies, atque eadem fere quæ prius belli facies subsequitur. Siquid præterea ex his contigerit, si forte Trojani occiso Hectore in belli reliquias minus jam valentes sint, at hæc remotiora sunt, obiter potius designanda quam plene demonstranda. Certe in Patrocli et Hectoris funeribus tanquam in fine et ultimo istius causæ effectu quæ toti operi initia dedit recte conquiescat animus; ad hunc usque terminum legitimo ordine et perpetua serie deducimur.

Esse igitur Iliados fabulam Unam et Totam et Perfectam Actionem ex nudo rerum in illa gestarum conspectu satis patet. Sed et singulæ partes tanto cum artificio et tam arcte inter se consociantur, ut ulteriorem explicationem deposcere videantur, atque hæc explicatio ex singulorum librorum Analysi petenda est, quæ etiam paratior erit et expeditior si ad illam quam demonstravimus universam operis formam cuncta referantur. Hanc autem non difficili labore pro se quisque eruet. Nobis siquid de hac re dicendum sit, alio certe tempore peragendum est.

PRÆLECTIO DECIMA-QUINTA.

UNIVERSAM Iliados compagem compendiose jam adumbravimus, ita ut satis constet quænam magnitudo, integritas, atque etiam simplicitas toti operi tribuenda sit: singularum partium ordinem, numerum, atque locum, quatenus totum illud complent, suo cujusque labore facile eruendum esse diximus, ne in re tam evidenti nimii esse videremur et operosi. Sed tamen hæc iterum cogitanti religio erat ex parte Fabulæ, ex qua cætera omnia pendere judicavit Aristoteles[a], quam ipse totius corporis quasi animam esse pronuntiavit, quicquam intactum relinquere. Itaque pleniorem singulorum Librorum Analysin jam suscipio.

L. 1. Primus itaque Liber causas continet ex quibus cætera deducenda sunt; ita autem illas tractat Poeta, ut et ipsæ satis discutiantur, et earum vi protinus omnia commoveri et inflammari videantur. Delibata igitur verbis quam paucissimis totius operis summa atque norma, ne forte extra eam evagetur et distrahatur Lectoris animus, ad Achillis iram tanquam ad metam et principium festinat. Exarsit autem illa ex controversia inter Achillem ipsum et Agamemnonem conflata:—

> Ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε
> Ἀτρείδης τε ἄναξ ἀνδρῶν, καὶ δῖος Ἀχιλλεύς[b].

[a] *Poet.*, c. 6.

[b] *Il.* A. 6.

In hanc itaque controversiam quærendus erat aditus, atque adeo in medios belli casus se proripit Poeta, et ex illis narrationem hancce elicit et confingit. In prædatorio isto quod tum gerebatur belli genere Chrysæ cujusdam ex finitima regione sacerdotis filia Græcorum armis capta est, et in spoliorum distributione Agamemnoni assignata. Supplex Græcorum castra petit Sacerdos et redimendæ filiæ suæ pretium offert. Jam vero statim se prodit nimia illa Agamemnonis authoritas et superbia quæ postea et ipsi et Græcis tam male cessura est. Repulsam patitur Sacerdos, et Apollinem in partes suas precibus vocat. Sequitur Dei vindicta erga Græcos et gravis pestilentia: tandem laborante exercitu piaculo et Vate Calchante opus est, qui dum præ timore hæret et trepidat, Achillem quasi festinanter coram oculis sistit Poeta, jam nunc vehementem et ferocem animis, qui scilicet ex altera parte tanti mali futura est causa. Dum itaque intonat Agamemnon:—

'Αλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε σαώτερος ὥς κε νέηαι [c].

Haud obscure mox contra Achilles:—

— οὐδ' ἢν 'Αγαμέμνονα εἴπῃς
Ὃς νῦν πολλὸν ἄριστος ἐνὶ στρατῷ εὔχεται εἶναι [d].

Tanto cum artificio animum Lectoris eo quo vult rapit Poeta, atque istis personis quæ primas partes acturæ sunt occupatum dat, dum videtur tamen historiæ et rerum seriei prorsus se submittere; vitæ nimirum humanæ cursum, atque eventuum verisimilitudinem κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον [e] ita animo paratam et præmeditatam habens, ut ei quodammodo imperet, videatur tamen sequi. Ex Cal-

[c] *Il.* A. 32. [d] Ibid. 91. [e] *Aristot. Poet.*, passim.

chantis responso facile delabimur in controversiam istam in qua tanquam in cardine totum Poema versatur; de qua sufficiat notare, non tam in re enarranda quam in personis et earum affectibus describendis operam ponere Homerum; hæc enim est illa *ἁμαρτία μεγάλη* quæ et materiem carminis sufficit, et posteris exemplo esse possit[f]. Achilles demum ira atque odiis incensus ab acie et bello se subducit, et Briseïda suam non sine Deorum sanctissima obtestatione in superbi Imperatoris arbitratum tradit. Hinc autem ad illam suæ ætatis superstitionem, qua in omnibus rebus numinis alicujus præsentiam agnoscebant, se confert Homerus. Matrem Thetida ex profundis maris excitat Achilles; illa supremum Deum Jovem in partes suas supplex trahit, unde sequitur sanctissima illa vox qua in honorem Achillis affligendi sunt Græci:—

— οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν
Οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅ τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω[g],

solennis venturæ stragis denunciatio. Alios autem Deos cum Græcis stare ibidem designat Poeta; neque enim facilem esse oportet Trojanorum victoriam: cætera minora sunt quæ spatium atque tempus compleant, sunt autem quæ ad summam rei spectant, quale est illud de Achille:—

— ποθέεσκε δ' ἀϋτήν τε πτόλεμόν τε[h].

Huc usque in 1mo Libro res deducta est, ad eum statum qui videatur magnarum rerum initium esse, adhuc vero in ipso introïtu suo hærere et pendere, ad eum certe quem statim quis pronuntiet, ut Historici verbis utar, *ἀρχὴν κακῶν μεγάλων Ἕλλησι.*

L. 2. Facile itaque in secundo Libro inchoatum

[f] Vid. *Præl.* 14. [g] *Il.* A. 526. [h] Ibid. 492.

opus repetit Poeta; adhuc tamen in instruendo belli insequentis apparatu versamur; ita enim accrescet Poemati magnitudo si non statim rerum copia perstringimur, sed eam lente atque ad arbitrium Poëtæ nos componentes haurimus; hæc est illa ψυχαγώγια quæ in legitima Poesi tantum valet. Agamemnon, sive illud proprio consilio factum fuerit sive somnio admonitus (quo melius omnia ad Numinis præsentiam et ad Jovis decretum referantur) sine Achille se bellum conficere posse confidens copias in prælium educere parat; nec vero hoc aperte, sed cum fraude et consilio aggreditur, nulla enim nova intercesserat pugnæ causa, (apertas autem pugnas in Trojano bello infrequentes fuisse ex dierum numero quæ in 1mo Libro inter concilium et Thetidis preces interponuntur satis patet,) præterea absente Achille diminutæ sunt Græcorum copiæ, atque exinde animos militum infractos fuisse credibile est. Itaque de reditu verba facit Imperator, omnes tam turpi fugæ se opponere non frustra sperans: ac primo quidem spe patriam revisendi permoventur Græci, facile tamen authoritate et eloquentia Ulyssis ad officium revocantur. Idem ille Ulysses occasione hac arrepta novas spes suis subministrat; jam appropinquare monet temporis opportunitatem in qua ex Calchantis vaticinio finem laborum suorum et felicem exitum respicere jussi sunt: acriter itaque ad prælium se accingunt, neque jam amplius Achillis opem requirunt:—

Τοῖσι δ' ἄφαρ πόλεμος γλυκίων γένετ' ἠὲ νέεσθαι
Ἐν νηυσὶ γλαφυρῇσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν [i].

Trojani interim, seu pugnæ jam olim se assuevis-

[i] *Il.* B. 453.

sent, seu absente Achille audaciores facti fuissent, ordines contra educunt, atque adeo opus ex omni parte fervet et suboritur magna istius certaminis expectatio de qua Agamemnon graviter et solenniter :—

Ὡς γε πανημέριοι στυγερῷ κρινώμεθ' ἄρηϊ,
Οὐ γὰρ παυσωλή γε μετέσσεται, οὐδ' ἠβαιὸν,
Εἰ μὴ νὺξ ἐλθοῦσα διακρινέει μένος ἀνδρῶν.
Ἱδρώσει μέν τευ τελαμὼν ἀμφὶ στήθεσσιν
Ἀσπίδος ἀμφιβρότης, περὶ δ' ἔγχεϊ χεῖρα καμεῖται,
Ἱδρώσει δέ τευ ἵππος ἐΰξοον ἅρμα τιταίνων[k].

Nec vero non frequenter nos monet Poeta ex unico Achille totam compagem pendere. Hinc Thersites :—

Ὃς καὶ νῦν Ἀχιλῆα ἕο μέγ' ἀμείνονα φῶτα,
Ἠτίμησεν[l].

Hinc Nireus pulchritudine uno Pelide minor est :—

Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα[m].

Hinc in Catalogo Myrmidonum et ipsius Achillis et equorum ejus non simplex neque vulgaris laus est. Nec vero in hoc tantum libro sed alibi etiam hæc interponuntur, scilicet ne unquam absit Lectoris animo Achilles commune totius Iliados vinculum :—

— *τάχα δ' ἀνστήσεσθαι ἔμελλεν*[n].

L. 3. Jam vero in ipso articulo pugnæ committendæ Menelai ardor quo ad ulciscendum injuriarum suarum authorem effertur, et Paridis provocatio ad quam Hectoris objurgatione impellitur, moram injicit—apparatus certaminis hujusce singularis et certamen ipsum tertium Librum complent. Atque

[k] *Il.* B. 385. [l] Ibid. 239. [m] Ibid. 674. [n] Ibid. 694.

in hoc eventu certe ad causam tanti belli se convertit Poeta, nec vero non hanc belli particulam et Achillem suum respicit. Illius absentia jam minoribus personis locum et agendi copiam dat. Hinc Paridi occasio datur in prælium Trojanos educendi, et Menelao in prima acie se ostendendi. Eodem de fonte habes illa quibus breviter atque eleganter primores Græcorum describit Helena. Mox opus erit singulorum summis viribus et varia concertatione.

L. 4. Habebatur autem Paridis et Menelai singulare certamen non sine solenni fœdere et mutua fide; quæ igitur fides violanda est, ne finis bello aut mora imponatur, atque hunc in finem artificio non caret Homerus ex perfidia deducto quam Trojanis et cæteris peregrini sanguinis populis tribuebant Græci, quin et iterum Deum vindicem in scenam profert. Menelaus itaque jam victor Paridis telis petitur et vulneratur. Jamque iterum ad arma concurritur, et redintegrato tumultu fervent omnia. Iterum quoque singuli fere Græcorum duces se ostendunt, dum magis aut minus acri studio copias suas ad bellum instruunt, atque idcirco Imperatoris laude aut vituperio notantur, nulla enim uniuscujusque virtus intentata jam latere potest, in hisce agendis et in primi concursus impetu versatur 4tus Iliados Liber.

L. 5. Tres insequentes primam pugnam declarant. Diomedes ardore animi et virtute Heroica Achilli proximus præ cæteris conspicitur. Illius res gestæ totum fere Librum complent, nisi quatenus variandæ rei causa ad alios transcurritur. Æneas et Hector frustra se contra exercent; ad summam denique Græcorum disciplina et vera virtus Trojanorum minus temperatæ ferociæ ex adverso opponitur: hic

etiam in medio tumultu nos monet Poeta [o] non nisi absente Achille tam æquo Marte concertatum esse.

L. 6. Sextus in eadem re continuanda versatur, præterquam quod a prælio utrinque se subducunt Dii et primi concursus vis atque impetus pro istorum temporum ratione obtunditur et cœpit languescere: ad Tydidem tamen et Græcos se inclinat victoria, ut ex Hectoris ad urbem reditu et solennibus Trojanorum matronarum precibus satis constat. Exinde occasione lubenter arrepta, rerum tamen ordine adhuc fideliter servato, in civilis et domesticæ vitæ consuetudines delabitur Poeta. Hinc Hecuba, Helena et suavissima illa "Hectoris Andromache," quæ cum in aciem non prodeunt, in Iliade tamen non infimas partes sustinent, suum locum et agendi vices habent. Interea in hoc et in insequentibus libris Achillis non levis mentio obiter intercidit [p].

L. 7. Jamque primam pugnam claudit Hectoris et Ajacis singulare certamen, in quo cum æquo fere Marte pugnatum est mutua virtutis collaudatione et donis datis abscedunt. Trojanorum autem procerum de reddenda Helena disceptatio, induciæ mortuorum sepeliendorum causa et muri exstructio ex omni parte indicia sunt certaminis magis jam æquati re tamen ad Græcos inclinata. Finem libro imponunt venturæ apud illos stragis dira præsagia et irati Jovis signa:—

Παννύχιος δέ σφιν κακὰ μήδετο μητίετα Ζεὺς
Σμερδαλέα κτυπέων· τοὺς δὲ χλωρόν δεὸς ἥρει [q].

L. 8. Nec vero jam ineunte secundo prælio cessat

[o] v. 787.

[p] Vid. Z. 99, 414; H. 113, 125, 228; Θ. 225, 475.

[q] *Il.* H. 478.

magis præsenti numine se ostendere; cæteris Diis solenniter denunciatur ne sese pugnæ immisceant. Itaque certamen per maximam diei partem dubio eventu sustentatum uno aut altero versu peragitur, ut ad exitum ejus se conferat Poeta, ubi Græcorum virtus et Diomedes ipse irrito conamine lapsas suorum res erigere sæpe aggressus, ægre tandem adverso Jovi et Hectori Jovis auspicia insecuto cedit, atque adeo secunda post amotum Achillem pugna victor campo potitur Hector et naves Græcorum insequenti mane adoriri parat:—

Τρωσὶν μέν ῥ' ἀέκουσιν ἔδυ φάος, αὐτὰρ Ἀχαιοῖς
Ἀσπασίη, τρίλλιστος, ἐπήλυθε νὺξ ἐρεβεννή [r].

L. 9. In nono igitur Agamemnonem confitentem habes, et desperatis jam rebus ad Achillis genua se provolvere paratum:—

Ζεύς με μέγα Κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ [s].
Ἀασάμην οὐδ' αὐτὸς ἀναίνομαι [t].

Solennis igitur legatio ad supplicandum Achillem decernitur, in qua cum ipsius atrox atque obduratus animus se effundit, tum etiam istorum qui legationem obeunt vix dispar est ratio. Hinc Ulyssis subdolæ eloquentiæ occasio datur, hinc Ajacis ferociæ, et senis etiam Phœnicis orationi morum atque affectus plenissimæ; quin et ultimam mali causam Ulysses respicere videtur, ubi de ingenio Achillis et de mandatis patris Pelei et sollicitudine ejus verba facit. Parum est certe Epico Poetæ inter armorum strepitum versari, nisi et illa attigerit quæ in conciliis et colloquiis virorum se produnt. Redeunt autem Legati re infecta.

L. 10. Itaque concilio rursus per mediam noctem

[r] *Il.* Θ. 487. [s] Ibid. Ι. 18. [t] Ibid. 116.

habito noctu hostium castra explorare decernitur, ne deesset scilicet ulla belli species quæ in istis temporibus usurpari solebat, aut ulla opportunitas in qua animi magnitudo et militaris virtus dignosci posset. In hunc finem Ulysses et Diomedes egressi Dolonem hostium exploratorem occidunt, Rhesum et socios ejus obtruncant.

L. 11. Jamque iterum ad arma concurritur atque eo quidem res redit, ut ex Imperatore ipso summa prælii recte pendere visa sit: nec sine prospera fortuna a Græcis diu decertatur donec Agamemnon ipse, quique illum excipiunt Diomedes, Ulysses, et Machaon vulnerantur. Trojanorum inde audacia crescit, atque Ajax ipse vix jam amplius eorum impetum sustinere valet. Interea Achilles nunquam non pugnæ intentus Patroclum ad Græcorum castra mittit ut de Nestore et Machaone quos ab acie redeuntes viderat se certiorem faceret, non levem secum de Agamemnone et de Græcorum miseriis triumphum agens. Suboritur exinde colloquium in quo suorum infortunia deplorat Nestor, et Patrocli animum misericordia prorsus frangit.

L. 12. Nec vero jam pugnæ finis: pulsis ad murum Græcis instruitur muri oppugnatio, *τειχομάχιαν* vocant, quod quidem novum bellandi genus Trojanos diu exercet, defendentibus murum utroque Ajace et Teucro: tandem portas perrumpunt et effuso agmine naves ipsas adoriuntur.

L. 13. Hactenus igitur vigili cura Trojanorum ex partibus steterat Jupiter; illo autem minus diligenter rem curante in Græcorum auxilium se offert Neptunus. Nec vero adhuc desunt principes viri qui lapsas suorum res sustineant; adhuc pertinaciter certamen tuentur Ajaces; adhuc Menelaus

acrem injuriarum suarum sensum præ se fert; addunt se veterani milites Idomeneus et Meriones, adeo ut iterum pedem referant vel saltem in cursu suo hæreant Trojani, utcunque contra enitantur Deiphobus et Æneas et Hector—magnus ille Trojani martis vindex.

L. 14. Nondum autem fortuna belli Græcis satis favet; ad ipsas naves dimicatur—spectaculum Achilli gratum ut ex ore Nestoris diserte loquitur Poeta:—

> Ἀτρείδη, νῦν δή που Ἀχιλλῆος ὀλοὸν κῆρ
> Γηθεῖ ἐνὶ στήθεσσι, φόνον καὶ φύζαν Ἀχαιῶν
> Δερκομένου [u].

Duces igitur vulneribus graves ad suos cohortandos prodeunt, tandem artificio Junonis consopito Jove Hector ab Ajace graviter percussus ex prælio deportatur, et Trojanorum magna fit cædes.

L. 15. Sed hæc in tempus tantum. Expergefactus ex somno Jupiter Achillis et decreti sui meminit et promissi erga Thetidem [x]. Itaque raptim Neptunum ex acie revocat. Hectori deficientem animam reddit, atque eum novis viribus in pugnam immittit. Trojani ex fuga rursus conversi naves et castra oppugnant; ibi et suo periculo et grandævi Nestoris precibus commoti fortiter se exercent Græci, sed malo omine; magis atque magis grassatur Hector et nave hostium potitus ignem ferri jubet dum Ajax ipse indignabundus impar certamen vix tuetur. Viderat hæc Patroclus et ad Achillem rediens nihil intentatum relinquere secum decreverat quo eum in auxilium Græcorum suscitaret et ea quam ipse conceperat misericordia commoveret.

Huc usque igitur unius concertationis quæ varias

[u] *Il.* Ξ. 139. [x] v. 74, iterum, 598.

belli formas in se habet legitima est et simplex narratio; in qua, quod maximum est, diversitas ea personarum atque hominum, qui cum singuli in suo genere præstantes sunt, ingenio tamen et moribus et scientia et virtute inter se longe distant, spatium habet in quo jactare se et ostentare possit. Sive eorum in concilio sententias seu in bello res gestas requiras sua cuique non deest occasio, et cum cæteri omnes strenue et viriliter partes suas agunt, primæ tamen ad Achillem tacite deferuntur; illum tanquam terminum alia omnia respiciunt. Si Hector, Sarpedon, et Æneas auspicato in pugna versantur, ille in causa est. Si Agamemnon, Tydides, Ulysses, Ajax et cæteri Græcorum duces necesse habent vires suas experiri et in omni bellandi genere se exercere, at Achille absente hæc geruntur. In ancipiti, ut par est, diu hæret victoria ubi principes viri inter se æquati sunt.

L. 16. Sed mox ipse ad agendum proditurus est. Eo usque valent Patrocli preces ut ille Achillis quasi personam induere jubeatur et copias ejus in bellum educere, atque hoc in illo temporis articulo in quo una ex navibus igne exardet. Jam vero versa rerum facie Sarpedon in prælio occumbit. Trojani præcipiti fuga retro aguntur et vix sub ipsis mœnibus pugnam instaurant; tandem in hoc certamine Hectoris manu sed Apollinis auspiciis cadit Patroclus.

L. 17. Nec vero ille in ipsa morte contemnendus est. Est enim Achillis præcursor: itaque circa corpus ejus acerrima exoritur pugna, istius generis quod ὤθισμον Græci vocant—17mus Liber in hac totus versatur, in qua Ajaces, Menelaus, Antilochus et Hector principatum habent.

L. 18. Jam vero nuncio hoc ad Achillem allato protinus ira ejus in vindictæ spem cedit. Agamemnonis injuria jam nihili est præ Hectore de Patroclo triumphum agente et in Pelidis armis exultante. Nec vero non fatalem suum errorem agnoscit et graviter deplorat:—

Ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο,
Καὶ χόλος, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι [y].

Hæc enim est illa ἁμαρτία μεγάλη, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν, quæ et ipsum carissimo amico orbavit, in qua igitur exponenda tota Ilias versatur, quo melius discerent posteri sibi temperare et ingentes spiritus compescere. Nunc igitur declarandum est quid possint Græci sub Achillis ductu et auspiciis. Itaque omnia statim ad commovendum et erigendum Lectoris animum comparantur. Illius voce longum certamen dirimitur. De vindictæ cupidine et de vitæ contemptu, cum fati sui haudquaquam nescius sit, crebra interjicitur mentio. Addas Polydamantis consilium quo Trojanos intra mœnia se recipere hortatur, atque arma Heroï ab ipso Vulcano fabricata.

L. 19. Nec vero adhuc præludii satis est. Solennis concio habetur in qua iram suam repudiat Achilles, et Agamemnon injuriam illi allatam excusat et donis compensat; mox sacris habitis milites corpora curant et deinde ad pugnam se apparant. Achilles ipse Vulcania arma induitur et hastam Peliada vibrans currum ascendit, nec vero sine prodigio in pugnam exit.

L. 20. Sed et Dii etiam in hoc certamen accersendi sunt, atque adeo concilio habito ab ipso Jove

[y] *Il.* Σ. 107.

in pugnam immittuntur et ex hac aut illa parte se distribuunt. Achilli paulisper iter obstruit Æneas, vir etiam ab hoste venerandus, qui tamen non sine Neptuni auxilio servatur. Hectora eripit Apollo. Polydorus Priami filius ferro cadit et mox Trojanorum ingens turba.

L. 21. Insequens Liber effusam habet eorundem fugam et novam cædem in ipso flumine. Interea rabies Achillis et efferatus animus, si forte quispiam ante pedes ejus supplex prociderit, vehementer se prodit: sequitur periculum Achillis in flumine, et ad eripiendum eum Neptuni, Junonis, Minervæ et Vulcani auxilium, mox etiam Deorum qui ex Trojanorum partibus stabant fuga et dedecus, tum Priami cura in recipiendis intra urbem copiis suis dum Agenor et Apollo Achillem morantur.

L. 22. Tandem aliquando explenda est illa quam diu sævientem vidimus Achillis rabies. Cæteri Trojani intra urbem compelluntur. Pudor tamen, et recentis triumphi et nimiæ suæ exultationis memoria Hectora extra muros detinent. Adventu Achillis in fugam se proripit, mox Minervæ fraude in pugnam se accingit, et tandem in hoc certamine cadit, utcunque vir strenuus atque audax "impar tamen congressus Achilli." Nec vero quicquam deest quod hanc rem augeat. Hinc Priamus et Hecuba ante pugnam Hectora tam obnixe orant et miserantur. Hinc eorundem et Andromaches etiam post mortem ejus luctuosi planctus, hinc denique Jovis ipsius misericordia, hinc etiam illa quæ ad triumphantem Hectora nos remittunt:—

Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ[z],

[z] *Il.* X. 373.

ad hunc enim eventum tanquam ad metam deducimur.

L. 23. In Hectoris adeo cæde fere tota clauditur Narratio, cætera perorationis locum habent et ornatus gratia adsciscuntur. Itaque Patrocli funus magnifice instruitur et suos habet ludos funebres, inter quos etiam peragendos personis suis illustrandis vel (quod tantundem est) moribus et ingeniis hominum nova occasio datur. Etiam Nestor qui certamen inire non potest suas partes habet.

L. 24. In ultimo Libro vicissim Hectoris exequiæ celebrantur. Et quem non summa misericordia tangunt Priami erga nati sui occisorem preces? in hoc igitur affectu defixum linquens Lectoris animum operi finem imponit Poeta: in reddendo etiam Hectoris corpore Achillis violentia prorsus componitur, cum tot præliis et tam variæ belli fortunæ initium dederit, cum suos tanta clade afflixerit, et in summa belli tanti fuisset discriminis.

Jam igitur totam Iliada summatim percurrimus, neque ut opinor ulla ex parte a simplici narratione deflexímus. Cum totum opus integrum atque perfectum sit, ita partes etiam complectitur subtiliter inter se intertextas, atque eas haudquaquam exiguæ molis si seorsim sumptæ perpendantur. Tales sunt, Menelai et Paridis certamen singulare, mox Ajacis atque Hectoris, tot prælia in planitie commissa, muri expugnatio, nocturnæ insidiæ, navium oppugnatio, Sarpedonis Patrocli atque Hectoris cædes. Nec vero concilii et verborum minor est ratio. Mitto orationes istas quas istius ætatis bellicæ concertationes facile capiebant; conciones autem habitæ in 2do in 10mo et in 19no Libro ac præcipue solennis illa ad Achillem legatio ingenio ac prudentiæ parem

certe locum dant ac prælia militari gloriæ: nec vero partes hæ a poemate dissociari possunt salva totius operis integritate atque ordine. Ex ira Achillis proveniunt omnia, nec nisi in Hectoris cæde terminum inveniunt. Nec vero temporis longa est mora. Viginti et duo libri, qui primo et ultimo medii intercedunt septem aut octo dierum spatium non exsuperant. Tantum rerum flumen ex eventu isto quem pro argumento sibi habet Poeta tanquam ex perenni fonte profluit. In primo et ultimo libro plus temporis absumitur; magis enim otiose nondum commotis rebus in initio operis hærere potuit Poeta, atque in fine etiam ad occasum jam vergente rerum cursu. Sed illa quæ fervet atque fluctuat operis pars intra angustos limites concludi non vult. Unica dies octo librorum argumento conficiendo sufficit. Nec vero non in ipso perpetuæ actionis fervore crebra intervalla interposuit Poeta, in quibus Lectoris animus conquiescat paululum ac colligat ea quæ perlegerit [a]. Ad finem 1^mi^ Libri facile mora injicitur dum magnarum rerum causas animo reputamus; ad finem 2^di^ acies jam instructas nondum tamen in pugnam immissas contemplari licet; ad finem tertii singulare certamen exactum est: ita in singulis mora quædam fit et requies, nec vero tanquam in ultimo fine consistimus sed in ipsa illa requie majora expectamus: hoc vero est inhibere manum pro suo arbitrio, et quod aiunt "tenere habenas animorum," atque hujus artificii ope longam Epici poematis seriem toleramus: neque aliud sibi vult Aristoteles cum unamquamvis Tragœdiæ partem vocat *μέρος ὅλον* [b], potest enim quodammodo esse integra cum totius tantum particula sit.

[a] Vid. *Prælectionem* 14. [b] *Arist. Poet.*, c. 12.

Est enim pes aut manus integra cum totius corporis pars sit. Quinetiam non tantum bellicas res sed alia etiam quæ ad mores et disciplinam suæ ætatis spectant feliciter immiscuit tanquam ea quæ de ludis funebribus peraguntur, ea quæ in scuto Achillis depingendo ad varios privatæ et publicæ vitæ mores referuntur, atque ea etiam quæ de sacris et fœderis sanciendi ritu sparsim inveniuntur, sed immiscuit etiam domesticæ vitæ consuetudines et affectus; neque frustra in Iliade suas vices habent Briseis et Helena et Andromache, neque non ad totum complendum faciunt. Illud etiam recte, quod certamen æquo fere marte committi voluit; non enim alia de causa universæ historiæ pulcherrimum est exemplar bellum Peloponnesiacum quam quod apud Græcas civitates jam tum æquis viribus concertatum est; ita statuit Thucydides, ita Homerus, in isto rerum statu humani ingenii vires maxime sese efferre, ubi strenue agendi copia sit et necessitas. Itaque publicæ vitæ totum ambitum completitur Ilias, itaque in tanta varietate personarum unaquæque suum locum habet, neque ulla ex parte temere inter se aut perturbate committuntur. Etiam ipsa Nestoris garrulitas argumento fabulæ inservit[c], illius enim opera misericordia erga suos in Patrocli animo insidet. Idem effœtis jam viribus non tamen frustra pugnæ interest[d]. Atque hæc est illa excellentia quam Epicæ fabulæ tribuimus, posse illam in unum conferre, et variis negotiis occupatas exhibere personas hominum quæ singulæ et inertes animum minus movent et ad eum erudiendum minus valent; frigida enim est morum recensio; inter agendum eos contemplari oportet,

[c] *Il.* Λ.

[d] ut in *Il.* Ο. 4.

neque si eos secundo in loco ponit Aristoteles idcirco præ fabula nihili habet: sed cum sint sublimioris poeseos vera meta, ex illis scite distribuendis et inter se devinciendis fabulæ dignitas accrescit. Nec vero personæ Homericæ in Iliade minus conspiciuntur quam si operose in singulis describendis elaborasset Poeta, imo eo magis nitent quo magis inter se conferantur. Quin et in confingenda rerum serie suis temporibus consuluit Homerus. In periculoso isto rerum statu rei politicæ et artium fere omnium initio necesse erat ad primores quosdam populi summam rerum recidere qui ingenti essent spiritu et authoritatem suam non tam hæreditario jure quam præcellenti virtute et imperii reverentia tuerentur: non igitur aliter Homericæ ætatis publica vita adumbranda erat, nisi in illa fabula quæ personarum varietatem haberet et eos ingenti concertatione inter se exerceret.

Hisce ita confictis longam Narrationem, ut ait Comicus Philemon, utcunque in aliis fastidium moveat in Homero lubenter patimur:—

Τὸν μὴ λέγοντα τὸν δεόντων μηδὲ ἕν,
Μακρὸν νόμιζε, κὰν δυ' εἴπη συλλαβὰς.
Τόνδ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρὸν,
Μηδ' εἰ σφοδρ' εἴπη πολλὰ καὶ πολὺν χρόνον·
Τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν Ὅμηρον λάβε,
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει
'Αλλ' οὐδὲ εἷς Ὅμηρον εἴρηκεν μακρὸν [e].

Ad summam denique tantam rerum molem tam arcte inter se devinxisse, tot personis in una et simplici Actione suas partes distribuisse viri est qui et humanæ vitæ rationem et cursum et legitimam artis normam percalluerit.

[e] p. 346, Edit. Clar.

PRÆLECTIO DECIMA-SEXTA.

QUÆ de fabula Homerica huc usque disputavimus ad Iliada propriori jure pertinent. Non nisi in illa singulorum partium ordinem et compagem pertractavimus. Restat adhuc Odyssea pari studio evolvenda, et (ut dicam quod sentio) vix minore laude digna. Equidem in utroque opere idem divinum et præcellens ingenium mirari soleo, quod cum omni vitæ imperitare valet, pro argumento tamen suo moderatur sibi, et diverso habitu se induit; neque me movet temeraria Longini vox qua ad senilem garrulitatem Homeri Odysseam revocat, viri scilicet qui ingenio potius suo quam judicio se efferre solet, et in hoc ipso loco mihi quidem videtur (quod faciunt Neoterici quidam) unius aut alterius vibrantis sententiolæ causa quam animo prius conceperat argumentum suum confinxisse[a]. Sed ad ipsum opus veniamus.

Liceat autem magis compendiose hanc rem percurrere, cum in uno opere jam satis vidimus Fabulam Epicam et inventam ab Homero et consummatam fuisse. Sunt etiam inter ea quæ supra pertractata sunt, quæ communiter ad utrumque poema referri possunt. In utroque pariter pro illa lege quam propria mentis vi excogitaverat fabulam sibi quærebat Poeta, quæ et varietatem actionis in

[a] *Longin.*, § 9.

se haberet et unum systema compleret: ad utrumque conficiendum ex historia fabulam suam desumpsit, et ex illa universæ historiæ parte quæ inter remotæ antiquitatis tenebras et suam ipsius ætatem media intercedebat: ex illo etiam eventu qui in ipso ortu suo totam Græciam occupaverat, mox eandem per multos annos exercuerat, ac dein ita statum ejus concusserat, ut eum quasi refingeret: quin et ex temporibus periculi et concertationis plenis, et primæva morum simplicitate conspiciendis. Hæc igitur et Iliadi et Odysseæ communia sunt[b]. In Iliade autem in publicis suorum temporum rebus et in totius populi periculo et laboribus versatur. In Odyssea ad privatam potius vitam se confert, ubi siquid est periculi aut laboris ad unum virum aut familiam aut saltem ad paucos pertinet. Atque ex hac differentia cætera profluunt. Hinc in Iliade grandiorem et magis elatum stylum habes, affectuum vehementes motus, et fervore omnia concitata; habes denique Martiæ quasi tubæ sonitum, adeo ut istud opus "otiose ac leni voce perlegere frustra speres." In Odyssea contra remissiores et molliores affectus, domesticæ consuetudinis suavitatem, et civilis vitæ normam. Nec vero facile requires Epici carminis majestatem; non enim Ulyssem suum unicum licet seorsim et solitariam vitam agentem repræsentari vult, et sua tantum in persona spectabilem, sed inter alios versantem et in communitate vitæ meritis et fortunis suis principatum habentem, non hominem sed civem. Itaque ad veram illam Ethicen se confert quæ dominantis est et Architectonicæ scientiæ, atque adeo Politices species quædam, cum privatam

[b] Vid. *Præl.* 13 *et* 14.

et domesticam vitam ita attingit, ut illi suum locum in societate hominum adsignet [c], sit licet alia Politice quæ totam societatem pro argumento habet. Quin et ad Politicam disciplinam proprie dictam aliquo nomine utrumque poema referri potest. Ex Iliade discas quid in re militari, ex Odyssea quid in civili possit legitimum et justum imperium, quod propria vi constaret, neque ex mera opinione penderet, quam periculosum est in re tam gravi unius personæ dignitate omnia sustineri; quæ doctrina quam necessaria erat istis temporibus facile intelligitur. Regis itaque et Principis Viri fortunas tractat Poeta, atque adeo si ad summam magis æquabili ac leni motu animum commoveri vult, non raro tamen assurgit magis incitatus in scribendo et vehemens.

Jam verò cum Trojanum bellum magno totius Græciæ ardore et communi consilio gestum sit, atque ea de causa omnium animos in se converterat, ita pari in honore erat reditus a Troja, eo quod Græciæ statum non leviter immutaverat, et principum familias variis calamitatibus afflixerat. Hoc Thucydides pronuntiavit [d], *ἥ τε γὰρ ἀναχώρησις τῶν Ἑλλήνων ἐξ Ἰλίου χρονία γενομένη πολλὰ ἐνεόχμωσε, καὶ στάσεις ἐν ταῖς πολέσιν ὡς ἐπίτοπολυ ἐγίγνοντο.* Virgilius eleganter et breviter omnium fere ducum fata in unum coegit [e]. Ulyssis reditus et diuturnitate temporis et casuum varietate præ cæteris insignis erat, adeo ut facile esset in hoc enarrando ea quæ aliis acciderant immiscere et ornatus gratia adhibere.

[c] Vid. *Aristot. Eth. Nicom.*, l. i. c. 2.
[d] *Thucyd.*, l. i. c. 12. [e] *Æneid.*, l. xi. 255, &c.

Cum autem unius Viri fortunas sibi pro argumento desumpsit Poeta, non totius vitæ fortunas complexus est, neque enim una est fabula quæ ad unum Virum spectat, ut recte notat Aristoteles Homerum ex hac ipsa parte collaudans—Ὁ δ' Ὅμηρος ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν ἤτοι διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν· Ὀδύσσειαν γὰρ ποιῶν, οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη· οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῷ Παρνασσῷ, μανῆναι δὲ προσποιήσασθαι ἐν τῷ ἀγερμῷ· ὧν οὐδὲν θατέρου γενομένου ἀναγκαῖον ἦν ἢ εἰκὸς θατέρον γενέσθαι· ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν οἵαν λέγομεν τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν[f]—neque vero totam reditus ejus historiam deinceps prosecutus est, sed ut prius unius Viri unam et simplicem Actionem, utcunque in se partes habeat neque numero neque magnitudine sua contemnendas, confinxit—μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ[g]—adeo ut spatio temporis Iliados et Odysseæ eadem sit ratio.

Universam operis formam breviter et concinne exposuit Aristoteles in hunc modum[h]. Sociis amissis Rex quidam ipse solus superstes procul a patria et domo sua agebat, ab irato Neptuno observatus. Interea domi bona ejus ab uxoris procis absumebantur, et filius ejus insidiis petebatur. In hoc rerum suarum statu ipse tempestatibus jactatus domum redit, et agnitus a suorum quibusdam inimicos adoritur et interimit, ipse sospes rerum potitur.

Atque intra hos, inquit, limites jacet totius operis corpus, cætera sunt Episodia augendi ornandique Poematis causa adscita.

[f] *Arist. Poet.*, c. 8. [g] Ibid., c. 23. [h] Ibid., c. 17.

Jam vero hinc statim liquet pari ratione totius reditus Ulyssis plenam narrationem Homerum repudiasse ac totius Trojani belli seriem. Hoc etiam argumentum nimia sua mole laborasset—λιὰν μέγας καὶ οὐκ εὐσύνοπτος ἔμελλεν ἔσεσθαι[i]. Habuisset etiam partes quasdam frigidas et moratæ Actionis expertes. Iterum particulam periculi et certaminis plenam desumpsit, ipsum scilicet temporis articulum quo Ulysses patriam et domum suam repetebat; atque ea tempestate, ubi Regis authoritas non nisi opinione et reverentia suorum stetit, ubi tot proceres nobilitate et virtute sua feroces solio adsistebant et principem suum observabant, in tam diutina ejus absentia languescere credibile erat regni majestatem, et suboriri magnam procerum inter se concertationem:—

— βασιλῆες Ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι
Πολλοὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ, νέοι ἠδὲ παλαιοί,
Τῶν κέν τις τόδ' ἔχῃσιν, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς[k].

Illi adeo quo majorem authoritatem consiliis suis adsciscerent, tumultuose, prout mos erat, regis uxorem matrimonio petebant, et spreta filii ejus juventute palam et superbe illam ambiebant et in ipsis palatiis commissabundi insidebant, neque facile ipsius reditu hi tumultus compescendi erant. Sua itaque sponte hæc fabula civiles motus et concertationes Heroicæ ætatis capiebat.

Illud etiam statim liquet, argumentum hocce duas res complecti, quæ a se invicem regionibus disjunctæ erant, eodem autem tempore peragebantur, hinc regni et familiæ Ulyssis in Ithaca statum, hinc ipsius fortunas et labores, quæ tamen progressu

[i] *Aristot. Poet.*, c. 23. [k] *Odyss.* A. 393.

operis in unum conferendæ sunt. Utitur nimirum Homerus libertate Epicæ Poesi concessa, qua ab una ad aliam rem vel ab una ad aliam regionem transire potest—Ἐν δὲ τῇ ἐποποιίᾳ διὰ τὸ διήγησιν εἶναι ἐστὶ πολλὰ μέρη ἅμα ποιεῖν περαινόμενα, ὑφ' ὧν οἰκείων ὄντων αὔξεται ὁ τοῦ ποιήματος ὄγκος[1]. In Iliade eadem re parcius utitur dum ab una prælii parte ad aliam transit, vel a campo et castris Græcorum ad urbem Trojam. Erat enim illa fabula longe diversi generis, erat, ut Græcum vocabulum usurpem, παθητική, vehementi actione plena nullo fere intervallo interposito; altera ἠθική, tranquilliorem habens in se morum et affectuum descriptionem, minus itaque violento motu animum concitari vult. Et certe inter hos leniores affectus et intentionem minus severam latius prospicere valet mens humana, et plura intuitu suo complecti; etenim ex ratione imperturbata et proprias vices rite agente pendet illa animi facultas, qua dissitas res inter se colligat et comprehensione quadam sibi subjicit. Eadem de causa libenter patimur longam Ulyssis narrationem qua errores suos et totam fere reditus seriem exponit. Ita quidem hunc locum tractavit Poeta, ut ea omnia quæ majoris sunt discriminis plene ennarraret, cætera pro arbitrio suo vel prorsus negligeret vel leviter perstringeret; ita longos Ulyssis labores percurrit, non ut singula suo quæque ordine ac loco demonstrare teneatur, sed (ut Horatii verbis utar:)—

> "— ut speciosa dehinc miracula promat.
> Antiphatem, Scyllamque et cum Cyclope Charybdim."

Illud etiam Horatii huc spectat:—

[1] *Poet.*, c. 24.

"Semper ad eventum festinat, et in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit, et quæ
Desperat tractata nitescere posse relinquit."

Sed et ipsius Homeri sententiam habemus:—

Τῶν ἁμόθεν γε, θεὰ θύγατερ Διὸς, εἰπὲ καὶ ἡμῖν[m].

1. In primo itaque libro exordium summam operis eadem qua in Iliade simplicitate exponit, exinde paucis Ulyssem et præsentem ejus conditionem attingit et deplorat, ac protinus in medios Ithacæ et procorum tumultus lectorem proripit. Ex hac parte coram sistuntur uxor regis Penelope sine amicis et marito quodammodo vidua, adhuc vero thalamo nuptiali fida, Telemachus, præ juventute familiæ suæ jura nondum ausus asserere, et numerosus principum ordo superbe causam suam agentes et in ipso palatio tumultuantes.

2. In 2[do] eandem rem prosequitur Poeta. Populum Ithacensem in partes suas vocat Telemachus, atque in hoc cœtu magnum fit regis desiderium et miseratio, deest tamen vis et authoritas quæ seditiones hasce posset componere. In iisdem libris consilium suum aperit Telemachus in Pylum et Spartam proficiscendi, si forte Menelaus aut Nestor de patre certiorem eum faciant.

3, 4. Atque hæc profectio in 3[tio] et 4[to] libris locum habet, ea credo causa a Poeta conficta ut res in extremum discrimen perductas esse demonstraret, et aliorum etiam ducum et principum errores facilius argumento suo immisceret, ut denique ipsum Ulyssem suum magis commendaret qui Menelao et Nestori tam carus sit. Audacia etiam et ferocia procorum iterum in insidiis quibus Telemachum redeuntem petunt conspicitur.

[m] *Odyss.* Α. 18.

5. Hisce ita dispositis ad Ulyssem ipsum transit jam amissis sociis in insula Calypsus quasi captivum :—

> Ἱέμενον καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
> Ἧς γαίης [n].

Deorum concilium fit, et Minerva dilecti sui Ulyssis causam tuetur. Itaque Jovis monitu Calypso captivum suum dimittit; quin ope et auspiciis ejus Ulysses ratem construit, atque iterum pelago se credit; adhuc tamen a Neptuno observatus naufragium patitur, et summo vitæ periculo in ignotum littus conjicitur.

6, 7, 8. Sextus Liber receptui ejus apud Phæacas inservit. Inter Heroicæ vitæ consuetudines (ut supra notavimus) primum fere locum sibi vindicabant hospitii jura, quæ cum sparsim per totam Iliada et Odysseam attinguntur septimum et octavum librum prorsus sibi vindicant; interponuntur convivia atque epulæ cum suis ritibus et ludis prout hospes apud Phæacas Ulysses hac solennitate honorifice excipitur; accedit Vatis etiam præsentia qui dum in recentiorum temporum memoria et rebus gestis versatur a Trojano bello abstinere vix potuit, immo hoc fere solum argumentum habet. Erat interim harum rerum Ulysses non immotus aut frigidus auscultator, sed infracto animo non semel in gemitus et lachrymas erumpit. In promptu est itaque regi Alcinoo lachrymarum causam quærere; unde etiam de nomine familia et fortunis hospitis sui singulatim quæque exponi vult.

9. Ineunte nono libro tandem Ulysses se declarat ea personæ dignitate quam Homerus fere unus animo concipere potuit aut verbis exprimere. Lo-

[n] *Odyss.* A. 58.

quitur tanquam inter pusillos et plebeios homines vir magnus virtute et meritis gravis, tanquam vir continuis laboribus et periculis exercitatus, jam nunc etiam malorum cumulo oppressus, haud unquam tamen infractus animis et fato suo minor:—

> Τί πρῶτον; τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω,
> Κήδε' ἐπεί μοι πολλὰ δόσαν θεοὶ Οὐρανίωνες [o].

Multa etiam sunt quæ huic agnitioni præeunt et eam augent. Jamque ad Ulyssem unum converso Lectoris animo longæ isti quam supra attigimus errorum suorum narrationi occasio datur, de qua siquis objiciat nimiam moram Actioni interponi illud Alcinoi sufficiat quod respondeas:—

> Καί κεν ἐς ἠῶ δῖαν ἀνασχοίμην, ὅτε μοι σὺ
> Τλαίης ἐν μεγάρῳ τὰ σὰ κήδεα μυθήσασθαι [p].

At etiam laboriosam Ulyssis vitam hæc omnia respiciunt, et portentorum et fabularum locupletem copiam habes quæ tunc temporis magni erant momenti et summæ æstimationis, nec vero etiam nunc suo usu et venustate carent.

Sirenum voces et Circes pocula nosti.

9—12. Quatuor denique Libros hæc Narratio complet. In 13^{tio} Phæaces pro sua consuetudine nec sine summa observantia et miseratione magni sui hospitis Ulyssem in patriam reducunt. Atque hæc omnia rite atque ordine peraguntur, sed cum illum somno gravem neque reditus sui conscium in terram furtim exponi fingit Poeta, immiscuit certe istius quod ἄλογὸν vocat Aristoteles particulam non levem, nec vero hoc temere aut nullo consilio. Jam enim solus propria virtute patientia et indomita mente fretus non alieno auxilio revisurus est do-

[o] *Odyss.* I. 14. [p] Ibid. Λ. 374.

ꝛmum Ulysses et inter tot tumultus pristinam sibi authoritatem vindicaturus. Supersunt adhuc nova discrimina et graves labores exhauriendi :—

— ὅσσα οἱ αἶσα δόμοις ἐνὶ ποιητοῖσι
Κήδε' ἀνασχέσθαι [q],

atque in his exsuperandis Ulyssis sapientia et virtus conspicienda est.

14. Fictam itaque personam Minervæ ope induit, et Eumæi servi sui jam olim fidissimi domum adit. Ibi et benigne excipitur et familiæ suæ statum et conditionem exquirit. Interea vero habes domesticæ et vulgaris vitæ rerum exemplar.

15. Mox ad Telemachum et reditum ejus a Sparta transit Poeta, et jam inde communis est utriusque fortuna, jam inde in unum coeunt quæ antehac regionibus suis divisæ erant Actiones.

16. In proximo itaque Libro amotis cæteris a filio pater agnoscitur, et consilia etiam Ulyssis de procis interficiendis aperiuntur. Isti interea eo audaciæ prorumpunt, ut insidiis suis jam male cedentibus aperte Telemacho cædem destinent.

17, 18. Mox urbem et domum suam petit Ulysses, et fictam adhuc personam gerens procorum epulis interest, videt atque audit tumultuosas eorum comissationes, et in sua etiam domo et a servo etiam suo contumeliis et verberibus excipitur atque hæc duos libros complent.

19, 20. Adhuc tamen in dubio res hæret, dum singula Ulysses lustrat et novas inimicorum injurias tacite fert, quo certiori exitio eos opprimat. Perstat interea consilii sui haudquaquam immemor ut et

[q] *Odyss.* N. 306.

tota rerum serie et versiculis istis sæpius repetitis nos monet Poeta :—

> Μνηστήρεσσι φόνον σὺν Ἀθήνῃ μερμηρίζων
> Ἀλλ' ἀκέων κίνησε κάρη κακὰ βυσσοδομεύων.

Sed et alterius generis quædam habes, quale est Ulyssis cum Penelope sua colloquium, et agnitio ejusdem ab Euryclea, res fortasse humilis sed affectus suavissimi: novus etiam adscitur ex servis suis socius. Ad summam in hac poematis parte procorum vita et mores plene describuntur, et suboritur magna istius temporis expectatio qua Ulysses suam personam gessurus est, et cum hostibus certamen initurus. Vates insuper Theoclymenus eum in finem in Odyssea suas partes habet, ut frequentem de Ulyssis reditu mentionem faciat, neque spem ejus ex Penelopes et cæterorum animis excidere sinat. Itaque ad finem jam vergente rerum cursu diris præsagiis futuram procorum stragem denunciat et ab eorum societate se proripit.

21. Tandem Penelope tot malis fessa viam invenit qua ad exitum tota res perducatur—siquis, inquit, Ulyssis arcum tendere et dirigere valet, ille etiam Ulyssis conjuge dignus sit—atque in hoc iterum certamine Ulyssis et inimicorum ejus vis et virtus ex adverso conspicitur; ille etiam dum ab Eumæo et Philætio agnoscitur et sua illis mandata distribuit omnia jam parata habet.

22. Itaque occasione arrepta in certamen prodit et feliciter cum inimicis congressus tandem ad internecionem omnes trucidat.

23, 24. Sequuntur ut in Iliade duo libri qui totum opus claudunt, quorum alter agnitionem Ulyssis a Penelope et domus suæ res spectat, alter regnum

ejus et populum Ithacensem, non enim facile et sua sponte resumenda erat in illis temporibus regia authoritas, præsertim apud cives tanta suorum clade perturbatos. Itaque patrem Laerten et socios quosdam in auxilium sibi accersit. Tandem Minervæ ope omnia sedantur.

In hac igitur serie non est quod requiras vel terminum a quo omnia recte procedant, vel illum contra in quo ad exitum perducantur; neque vero interea artificiosam rerum structuram quæ animum arrectum habeat et intentum—Δέσιν vocant Græci—neque vero explicationem vel Λύσιν quæ involutam seriem ita expediat ut nihil interminatum relinquat; habes et numerum partium et eas ita inter se colligatas ut divelli non possint salva totius operis integritate. Non mihi in animo est cum Iliade Odysseæ fabulam ita conferre ut huic aut illi palmam assignem. In utraque eam excellentiam reperio quæ argumento suo conveniat, in utraque rectam atque integram σύστασιν τῶν πραγμάτων, quæ mentem humanam teneat et occupatam habeat, in altera severa magis et vehementi, in altera remissiore intentione. Hinc ut supra diximus longæ Narrationi, hinc tot portentis ac prodigiis locus est, neque hæc tam Poetæ figmenta esse credo quam temporum ejus opiniones et judicia, quam ea quæ tum longinquis profectionibus propria esse credebantur. Illa autem Odysseæ pars portentis maxime plena est quæ in ennarrandis Ulyssis erroribus versatur. Est certe naturæ humanæ ubicunque otiari datur ac præsertim in Scientiæ penuria prodigiis et miraculis se oblectare—τὸ θαυμαστὸν ἡδύ[r]—adeo ut hanc rem non tantum

[r] *Aristot. Poet.*, c. 24; *Rhet.*

poetæ sed civitates etiam et legum latores attigerint—τοὺς μύθους ἀνελέξαντο οὐχ οἱ ποιηταὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ πόλεις πολὺ πρότερον καὶ οἱ νομοθέται τοῦ χρησίμου χάριν βλέψαντες εἰς τὸ φυσικὸν πάθος τοῦ λογικοῦ ζώου[a]—ex hoc fonte et humanioris vitæ et doctrinæ etiam initia derivare aggressi sunt. Optimo itaque jure Homerus in illo Poemate quod otiose perlegi posset hæc abundanter immiscuit; imo ea intacta reliquisse nefas fuisset. Redeo tamen ad illa quæ disputabam, utriusque operis fabulam unam esse et simplicem et justæ pro Epicæ Poeseos dignitate et varietate magnitudinis, et ex partibus constare ita inter se contextis ut cum series rerum et structura fabulæ summæ sit artis, a naturæ tamen simplicitate petita esse videatur. Esse denique magnitudinem istam totius et partium ordinem ex quibus apte inter se compositis omnis pulchritudo et venustas constat; atque has Epicæ Poeseos leges Homerum primum invenisse credibile est, confirmasse et perfecisse certum est.

Quidnam ex his exemplaribus proficere potuissent et Græci et Recentiores non longe quærendum est. Dixerim profecto pulchritudinis et venustatis formas haudquaquam arte confictas esse, sed vel natura in mente humana insitas vel facili labore et propria ejus vi aliquatenus assequendas, nunquam porro omni ex parte deesse, sed vel in inculto vitæ statu vel in inculta mente partim se aperire: simul autem dixerim summæ artis et longi usus esse has ipsas formas consummare et limato judicio subjicere, cum nusquam non inveniuntur, inveniuntur tamen vel imperfectæ et rudes vel

[a] *Strabo*, lib. i. p. 19, &c.

sinceræ minus et genuinæ. Hinc difficili labore ad summam perductæ sunt, hinc corruptelam cito patiuntur: ex hac parte ad ea admiranda properamus quæ immanis sunt molis et vastæ magnitudinis, ex altera ea affectamus quæ curiose nimis expolita sunt et ad ordinem nimis exquisitum redacta: justam utriusque rei rationem et modum servare ultimum est humanioris vitæ et scientiæ opus, in hoc tota versatur elegantiorum Literarum scientia, quæ neque facile integritatem suam assequitur, neque diu illam conservat: nec vereor ne falsus videar si Ethicam etiam et Politicam virtutem haud absimilem sibi scopum habere pronunciem. Illius est certe—"veræ numerosque modosque ediscere vitæ." Est et illic sua ratio, sua magnitudo: eo etiam enitendum est ut incorruptos affectus habeamus et acrem rerum sensum. Quæ omnia si vera sint facile intelligitur quidnam in istis temporibus nondum satis exculta vitæ atque artium norma potuissent hæc exemplaria. Qui secuti sunt Homerum scriptores habuerunt unde haurirent quod in arte sua primum est et maximum, unde elegantiæ, non illius quæ in minutis partibus et singulis versibus conspicitur sed in magno et toto opere se prodit, normam statuerent, atque ubi semel jam innotuerit elegantiæ vera facies "mirabiles amores sui excitaret;" mox facili transitu ad alia et longe diversa, ad Picturam, ad Sculpturam, ad Architecturam et ad omnem denique vitam transferretur. Ita certe se res habuit, non in Poesi tantum sed in cæteris artibus fere omnibus Græcorum proprium fuit exquisitum habere venustatis sensum, et in summa ingenii libertate justum ordinem conservare. Non dico Phidian, Praxitelem, aut Apellem

unicum Homerum magistrum habuisse (quanquam et ipsi ut fertur in Homero auctore superbiebant et gestiebant) sed ex illo profluxisse leges et normam ad quam non tantum in scribendi artibus sed in aliis etiam rebus recte provocari potuit, illius denique exemplo didicisse Græcos quænam sit veræ elegantiæ natura et ratio, quo nomine jam nunc primi audiunt. Neque vero Homeri ingenio hæc ita tribuo quasi propria ejus arte inventa fuerint et conficta. Ille nimirum ex natura duce omnia conquisivit, atque hanc sibi laudem habet proprio judicio et mentis vigore ex obscuris rudimentis perfectum artis opus conformasse, quod et in sua arte et in cæteris posteris exemplo foret: si materies ad manum fuerit, at ex rudi materia pulcherrimum ædificium exstruxit. Eandem veritatis normam Aristoteles postea explicuit et præceptis confirmavit, ex Homeri operibus suam disciplinam eruens; recte enim vidit non ex artificio Poetæ sed ex Natura Iliados et Odysseæ structuram pendere. Nec vero alio sensu Epicæ Poeseos norma artis est quam quo Scientiarum Theoremata. In utraque re sequimur quocunque nos ducat Natura et mentis humanæ ratio, atque hac semita ad ea frequenter devenimus quæ ex parte et obscure omnibus patent, sed ubi arte consummata fuerint diversum habitum induunt, et ab origine sua longissime abeunt.

Tanti erat, si Græcos spectemus, ea pulchritudo quæ in Homeri fabulis conspicitur. Nec tantum paratu difficiles sunt hæ scribendi leges, sed in mille etiam corruptelas prono impetu delabuntur, et pravis hominum ingeniis a recto tramite cito detorquentur. Nobis itaque eadem norma jam nunc

excolenda est. Hac corrigendi sunt nostræ ætatis errores et vitia. Ad hanc non tantum antiqui Græci sed Virgilius etiam et Romani poetæ se conformabant. Hanc inter Neotericos optimi renascente jam doctrina potissimum secuti sunt. Nos jam plures habemus quos sequamur, qui tamen omnes ex uno hoc stemmate originem suam ducunt. Sed nisi aliquis purius et verius exemplar istius quod simplex atque integrum sit proferre possit, prudentiæ erit ad ipsum humanioris doctrinæ patrem atque principem nos convertere, tot annorum sententiis jam comprobatum, et ipsa antiquitate sua verendum.

PRÆLECTIO DECIMA-SEPTIMA.

QUAM in recensendis Iliados et Odysseæ fabulis operam posuimus nondum plene instituto nostro satisfacit, sunt enim quæ ex industria et necessario alium in locum ablegavimus. Dum in universa operis serie et norma immorati sumus, partium ordinem et colligationem unice spectavimus: at vero Episodia quæ vocant ipsum hunc ordinem interpellant et nexu minus arcto ad totum opus pertinent. Hanc enim licentiam et Homerus ipse et cæteri qui eum secuti sunt non infrequenter sibi permiserunt, imo ad Epicam poesin πολυμύθιαν quandam proprio jure pertinere arbitrati sunt, atque hac ipsa re Epicum systema a Tragico differre pronuntiavit Aristoteles—ἐποποϊικὸν δε λέγω (σύστημα) τὸ πολύμυθον[a]. Etenim in longa rerum serie remissionem et laxamentum sibi quærit animus et lubenter Poetam excurrere et spatiari sinit, modo facile eo unde abierit revertatur et intermissum opus repetat. In ipso illo studio quo ad ordinem et simplicitatem deducimur varietatem tamen requirimus. Artis est utramque rem componere et simul attingere. Etiam in severiori Tragicæ poeseos norma quæ auditorem magis attentum et defixum poscit, sua intervalla et Actionis moram habet

[a] *Poet.*, c. 18.

fabula. Græci quidem in isto genere pauxillulum quiddam laxamenti animo dabant, nec vero eum vel unius momenti spatio prorsus dimittebant. Intercinebat Chorus et stylo perquam magnifico elevabat ea quæ ex singulis fabulæ partibus in vitæ usum derivari possent documenta, adeo ut ex istis intervallis confirmaretur potius Tragœdia quam interpellaretur. Epica autem poesis non tantum moram Actioni injicit, sed longius excurrit et historias etiam aliunde desumptas interponit. *ἐν τοῖς δράμασι τὰ ἐπεισόδια σύντομα, ἡ δ' ἐποποιΐα τούτοις μηκύνεται*[b]. Nec vero illi utcunque sit libera magis et soluta quocunque libet sine lege evagari licet. Sunt etiam hic certi limites quos Poeta impune transgredi non potest; sunt præcepta quæ licentiam ejus comprimant et ad artis normam revocent. Itaque Aristoteles qui licentiam Epicæ poeseos et plene agnoscit et diserte exponit, hac tamen communi lege et illam et Tragœdiam constringit, *ὃ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον οὐδὲ μόριον τοῦτο ἐστὶ*[c]. Sicubi igitur ab argumenti serie vel minus vel magis deflexerit Poeta, adhuc tamen illum vel in toto argumento vel in aliqua ejus parte illustranda occupari oportet. Hoc enim præceptum non tantum rectam fabulæ seriem spectat sed Episodia etiam illa in quibus fabulam suam deserere videtur, hæc omnia ad illustrandam fabulam et augendam aliquatenus pertinere decet: ita Poetæ et excurrendi spatium damus et omnes operis partes communi vinculo constringimus et ad unum corpus revocamus.

Jam vero hæc licentia Homero præsertim magni

[b] *Arist. Poet.*, c. 17. [c] Ibid., c. 8.

fuit, quo in exigua illa quam sibi desumpserat fabula concluderet historiam et mores et consuetudines suorum temporum, quæ omnia ut vidimus in poeticos usus feliciter comparata erant, quorum etiam memoriam conservare et posteris commendare voluit, *ἐπεισοδίοις κέχρηται αὐτῶν πολλοῖς*[d]. Sub hac autem quam supra ediximus lege dum totum fere vitæ humanæ ambitum perlustrare videtur et ad arbitrium suum componere, ita omnia proprio suo argumento intexuit, ut vix cogitatione ipsa divelli et seorsim sumi possint. Sed ipsa hæc Episodia ac primo ea quæ in Iliade locum habent facili labore percurrenda sunt.

Primus itaque Liber et secundi magna pars vehementi actione fervent. Tandem rebus magis compositis ad ornandam narrationem suam se confert Poeta, atque exinde in longum Episodium, quod Catalogus inscribitur, delabitur. In hoc Episodio per se sumpto pretiosissimas habemus antiquæ Geographicæ reliquias. Habuerunt Græci scientiæ hujus quæ in omni vita tantum valet initia. Habent posteri non solum locorum nomina sed regionum etiam diversitates et opportunitates: interponuntur non pauca veteris historiæ monumenta neque levis personarum et eventuum memoria. Habemus denique antiquæ Græciæ tabulam unde Homericorum temporum pleniorem notitiam eruamus atque ex hoc exemplo de humanitatis et cultioris vitæ rudimentis certius judicium faciamus, atque hæc certe magna sunt, nec vero temere et inepte interjicienda. Itaque apud Homerum explicandæ et augendæ fabulæ suæ proxime inserviunt. Eo res deventa erat ut Græco-

[d] *Aristot. Poet.*, c. 23.

rum instructam aciem lectori ante oculos sisteret, atque hanc certe παράταξιν non aliter recte intelligimus quam cum singulorum populorum copias et numerum perspicimus. Ita ex promiscua hominum turba ordinata acies prodit. Neque aliter censuit Historiæ pater Herodotus, qui et ipse, recensionis exercitus Xerxiani apud Doriscum mentione facta, pari recensioni in narratione sua se accingit et singulorum numerum patriam et armaturam quasi digito demonstrat. Quin et singuli proceres et heroes ad agendum mox prodituri sunt, atque ex hoc Catalogo et eorum patriam et stirpem et ditionem et numerum copiarum quas in bellum eduxerunt uno et facili intuitu perlustramus. Ita certe toti poemati illustrando inservit Episodium hocce atque in perlegenda Iliade perpetuo est fere subsidio. In illud autem facili et eleganti transitu delabitur poeta, et pari cum facilitate intermissam historiam repetit. Etenim recensione facta exercitus proximum est in ejusdem res gestas animum convertere. Nec vero nihil erat in istis temporibus illud perspectum habere quod in longe recentioribus non viderunt plurimi, simplicem rei Geographicæ expositionem Poeticum habitum non recusare, etiam amoto omni fuco et ambitiosis ornamentis.

In tertio Libro iterum excursus locum habet Priami cum Helena colloquium, vix tamen a proposito aberrat Poeta ubi in recensendis personis suis et eorum moribus designandis versatur. Summo quidem cum artificio sub aliena persona hanc rem tractat, ita ut Priamus ét Helena in explicandis aliorum moribus suos non obscure prodant. Hoc vero est illud quod in sublimiori poesi tantum valet, ad moratam actionem et Dramaticum loquendi genus

passim confugere. Hæc est illa Homeri præcipua laus narrationis seriem sermonibus et colloquiis interpositis quasi coloribus distinxisse et suam personam statim a conspectu abduxisse, unde illa Aristotelis non-semel dicta vox, *οὐκ ἀγνοεῖ ὁ δεῖ ποιεῖν αὐτόν*[e]—*μόνος γὰρ οὐκ ὅτι εὖ, ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν*[f]. Nihil igitur aliud in hoc excursu agit Poeta, quam ut solet, a frigida narratione ad vivam imitationem "distinctam personis et sermonibus interpunctam" se proripit, ad *μίμησιν* et *ἀπεικασίαν* ut Plātonis verbis utar.

Adjungimus cognatum illud Hectoris cum Andromache colloquium, de quo quis non videt totam rem ad mortem Hectoris augendam prorsus comparari, qui certe eventus in Iliade primum fere locum habet. Non jam virum deflemus de plebe et nullius nominis sed Andromaches Hectora sed Trojæ præsidium et publice et privatim domus Priameïæ decus. Quicquid igitur ad ornandam Hectoris personam facit, pari jure ad illustrandam ejus mortem referri potest, denique, ut Græcis verbis utar, *ποιεῖ ἐπίδηλον* hunc Iliados fabulæ cardinem.

Mitto excursus minores quibus nulla narratio carere potest: nemo in communi sermone ita loquitur ut nusquam a recto cursu deflectat, neque si Diis placet ita loquentem ferimus. Habet ipsa rerum vel minutarum series suos qui ex latere pullulant ramos.

At vero Nestoris fortasse longa Oratio in 11mo Libro pro digressione habenda est: quæ tamen Oratio ex ipsa Nestoris persona et senili garrulitate sua sponte profluit, quin et Patrocli miseri-

[e] *Poet.*, c. 24. [f] Ibid., c. 4.

Cordiam erga suos et preces propter quas ipse et mox Achilles in aciem reducitur tanquam legitima pars complet; hæc ipsa res, quæ erga priores et posteriores Iliados Libros vinculi locum habet, per se nimis exigua fuisset et incremento hocce ad complendam magnitudinem suam indiget.

Qui sequuntur libri ita fervent Actione ut moram vix patiantur. Sed inter præliandum varia fortuna opus erat: quem in finem Junonis machinam in 14to libro excogitavit Poeta: nec vero alio sensu a rerum cursu digredi censendus est, quam quod in illa longius quam necesse erat immoratur, interea vero operi intexuit pulcherrimum Græcæ Mythologiæ exemplar.

Sequitur Achillis Clypeus: statim vero pronuncio vix quicquam quod Achillem spectat ab Iliados argumento alienum esse posse. Certe heros Vulcaniis armis instructus elatius et magnificentius in prælium prodit. Si interim delibaverit Poeta tot Heroicæ vitæ consuetudines et tam jucundam rerum faciem adumbraverit, hæc omnia in lucro appono.

Quin et Deorum in pugna dimicatio eidem fini inservit, augendæ scilicet extremi hujus certaminis pompæ, in quo congressuri sunt toties spectatus Hector et nobilior Hectore Achilles.

Liber 23^{mus} in describendis ludis Græcis versatur qui et antiquitate sua et nobilitate inter Græciæ consuetudines principatum habuerunt. Sed et hæc res ad Patrocli mortem et Achillis iram supplementi locum habet. Fine aliquo et corona eget Fabula tanta rerum mole locupletata.

Ita dum in spatio versatur bene magno, quod totam publicæ vitæ tabulam ambitu suo complectitur, certos inter limites se continet Poeta et ad unam

metam gressus dirigit, etiam tum certus viæ cum temperare cursui et a tramite deflectere videatur.

In Odyssea, ut supra notavimus, magis licenter et libere effert se Poeta quatenus duplicem sibi fabulam pro argumento habet, et ab una regione ad aliam, ab Ulyssis ad Telemachi errores transit, nusquam tamen eos fines transgreditur intra quos Epici carminis integritas et simplicitas constat. Omnia ad Ulyssem ipsum vel ad patriam et familiam Ulyssis facile referri possunt, imo in hoc poemate vel parcius quam in Iliade ab argumento deflectit, si excipiamus longam Ulyssis narrationem. In præcedentibus libris ne semel quidem inchoati operis seriem abrumpit, nisi forte vatis Demodoci cantus pro Episodiis habeantur, qui tamen plerique et Trojanum bellum et Ulyssem ipsum commemorant, et isti quæ sequitur Ulyssis agnitioni viam sternunt: sunt autem minores quam qui sub isto nomine recte cadant.

In Ulyssis narratione abrumpitur certe et diu hæret præsens Fabulæ Actio: fortasse etiam voluit Poeta suorum temporum Mythologiam Poetico ornatu induere; adhuc tamen hæc omnia Ulyssem fere unicum spectant, neque nullo consilio in hoc ipso loco interponuntur. Etenim ille in reditu suo personam gessurus est viri et decennali bello et longinquis erroribus exercitati: recte igitur et prudenter ut lectorem monitum habeat, occasionem arripit Poeta omnia hæc rerum discrimina singulatim exponendi, pari de causa ex ore Ulyssis frequenter illa usurpat:—

— *κακὰ πολλὰ μογήσας*
Ἤλυθον εἰκοστῷ ἔτεϊ ἐς πατρίδα γαῖαν [g].
Ἀνδρῶν τε πτολέμους ἀλεγεινά τε κύματα πείρων [h].

[g] *Odyss.* Π. 206; Τ. 484; Φ. 208; Ψ. 170; Ω. 321.
[h] Ibid. Θ. 183; Ν. 91, 264.

Ita cum in patriam redeuntem excipimus, simul in animo infixam habemus patientiam ejus et laboriosam vitam, atque eo lubentius prosequimur ubi in patria et domo sua supremos labores exhaurit, et virtute sua et invicto animo jam tandem feliciter se expedit, neque quicquam est in illa laborum suorum recensione quod non aliquatenus ad hanc rem augendam facit, atque hoc ipso nomine et jucundum est et suum sibi locum vindicat. Atque hac iterum de causa Narratio illa rectius in medio Poemate quam in initio operis collocatur ut ipsum Ulyssis reditum quam proxime attingat.

Aliam in Odyssea digressionem non agnosco præter historiam illam de vulnere Ulyssi illato inter venandum in monte Parnasso, quæ jucunde satis ad aliam et longe diversam vitæ ejus ætatem spectat, et (quod majus est) ad illam rem explicandam facit qua Ulysses verbis suis in agnitionibus fidem facit; jubet quodammodo nos Poeta hanc machinam ex historia potius desumptam credere quam suo arbitrio confictam.

Ita in utroque opere mentis humanæ oblectationi et remissioni satis consuluit Poeta, dum tamen interea ad scopum suum recta collimat; ita blanditur animo et rerum varietate captum agit, nec vero sinit ab instituto operis diu se avertere. Hoc vero est omnem argumenti sui ambitum exploratum habere et menti penitus subjectum, atque ita demum singula disponere, et ex alieno penu ea adsciscere quæ ex usu sient, εἶθ' οὕτως, ut ait Aristoteles, ἐπεισοδιοῦν καὶ παρατείνειν[1]. Atque istiusmodi Episodia dum partibus magis essentialibus expo-

[1] *Arist. Poet.*, c. 17.

nendis inserviunt facilem jam cum ipso opere societatem ineunt.

Hactenus de Fabulæ serie et iis quæ seriem interpellant digressionibus. Sed et Fabula suas partes habet, quæ et seorsim sumptæ multum valent et Poetæ solertiam non leviter exercent. Triplicem harum partium ordinem enumerat Aristoteles[k], quæ Latino sermone, ut fit, nominibus carent. A Græcis appellantur — περιπέτεια — ἀναγνώρισις — πάθος. Atque hæ vel conjunctim vel earum una aut altera in omni fere Tragœdia et Epico carmine locum habent, porro ex ejusdem authoris sententia[l] (adscitis saltem moribus tanquam secunda Poeseos parte) formam et speciem dant vel Tragœdiæ vel Epico poemati prout conjunctim usurpantur vel earum altera præ cæteris dominetur. Idem Aristoteles pronuntiat Homerum iis omnibus usum fuisse ac plerumque inter se nexis et implicatis; Iliada esse ex simplici fabularum genere, ἁπλοῦν; nullam ibi reperiri fortunarum subitam atque insperatam conversionem, περιπέτειαν vocant, nullam personæ vel cognationis latentis agnitionem, ἀναγνώρισιν. Singuli partes agunt illis jam ab initio operis assignatas, in difficili quidem et permagno discrimine. Caret tamen Iliados fabula subitis illis rerum conversionibus in quibus Tragici Poetæ gestiunt et efferunt sese, quarum ope animos hominum tam vehementer percellunt. Et quidem περιπέτεια magis propria est Tragicæ quam Epicæ poeseos quatenus earum altera vehementiores motus concitare vult, altera magis stabili et composito affectu totam mentem occupare. Posse autem mentem occupare,

[k] *Poet.*, c. 10—12. [l] Ibid., c. 18, 24.

et graviter defixam habere, nudam et simplicem rerum structuram exemplo sit hæc ipsa Homeri Ilias. Interea vero in istius partis usu quam *πάθος* vocant (mortes dico, vulnera, et cæteros graves dolores) frequens est Ilias, ut ipse nos sub initio operis clare monet Poeta :—

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων.

Sed in bello, ut fit plerumque, hostili manu cadit hostis; quod genus mortis minime miserandum est [m] :—

— πάσχειν δὲ κακῶς
— ἐχθρὸν ὑπ' ἐχθρῶν οὐδὲν ἀεικές [n].

Adjecit itaque Poeta ea quæ fatum cujusque magis flebile et misericordia dignum faciant: modis fere infinitis cadunt Homerici Heroes, nunc vulnus ipsum et teli ictus accurate describitur, nunc juvenis a parentum amplexu avulsi deploratio fit :—

— οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε [o].

Nunc miserrimæ conjugis viro orbatæ, nunc domus patre-familiæ spoliatæ. Hic stirpe, hic opibus, hic magnis virtutibus inclaruit :—

Φίλος δ' ἦν ἀνθρώποισι [p].

Hic auguriis et divinandi arte clarus suum tamen fatum depellere non potuit: omnimodas denique habemus mortis facies ab illo in tabulam redactas qui ea intellexit quæ vitam hominibus cariorem reddunt, et necessitudines a quibus nos avelli ægre patimur. Atque hæc Homerus obiter perstringit,

[m] Vid. *Arist. Poet.*, c. 14.
[n] *Æsch. Prom.*, sc. ult.
[o] *Il.* Δ. 477; P. 302.
[p] Ibid. Z. 14.

tum vero in majoribus quibusdam exemplis elaborat magis, ubi scilicet Tlepolemus Herculis filius et Rhodi conditor vulneratur, ubi Sarpedon non sine supremi Jovis miseratione occumbit, Patroclus Achillis amicus et ejus in bello præcursor, ac denique Hector, tot laboribus strenue perfunctis et Troja sua toties vindicata; ad illum itaque deflendum prodeunt affinium et amicorum turba quorum singulorum fortunis nos lubenter immiscemus; Priamus et Hecuba carissimo filio, Andromache fidissimo marito, et Troja suo propugnatore spoliatur. Etiam ipsa Priami ad Achillem supplicatio quæ totam Iliada claudit ad augendum hoc *πάθος* comparatur. Tanto cum artificio istud Fabulæ genus concinnavit Poeta quæ simplex est et ex gravioribus vitæ casibus pendet, *ἁπλῆ καὶ παθητικὴ*.

Odyssea alterius est generis, *πεπλεγμένη*. Etenim in fortunis Ulyssis et familiæ ejus subita fit conversio, et ex altera parte in procorum fortunis, quæ Tragicæ *περιπέτειας* quodammodo vicem habet, quanquam ad eam gradatim nec improviso perducimur. Cæterum in agnitionis usu frequens est Odyssea. Telemachus a Menelao agnoscitur, iterum a Nestore; quæ agnitiones quanquam quod modum attinet arte carent, at ubi Nestor filium agnoscit unius procerum istorum quos omnes paterno quodam affectu adamaverat, ubi Menelaus ejus filium qui ejusdem militiæ et laborum particeps fuerat, quo nemo magis strenue et constanter causam ejus sustentaverat, non desunt certe quæ generosum animum tangant et oblectent. Sequitur nobilis illa Ulyssis ab Alcinoo et cæteris Phæacum incolis agnitio summa artis subtilitate composita, cum ex ipso rerum cursu sua sponte exoriri videatur. Igno-

tus hospes, amissis sociis, et summis ipse periculis ereptus, isto nomine in Alcinoi domum recipitur; in ipsa conviviorum quibus hospitem excipiunt hilaritate interveniunt quædam quæ illi et dignitatem animi et corporis robur præ cæteris hominibus adsignent. Interea Vates res ad Trojam gestas quæ tum temporis celeberrimæ erant memoriæ sibi pro argumento desumit. Hospes in lachrymas non semel prorumpit neque Alcinoum latere potest. Tandem (integro libro in ipso agnitionis apparatu absumpto) se aperiens ea qua par est gravitate pronuntiat esse Ulyssem illum cujus operam in Trojano bello pauci exsuperaverant, patientiam et labores post Trojam subactam nemo adæquaverat. Sunt et aliæ agnitiones; in ista Ulyssis a Telemacho habes et patris affectum et filii justam pietatem. Iterum improviso Ulysses servis suis Eumæo et Philætio, iterum conjugi suæ Penelope et patri Laerti se prodit, quarum agnitionum nulla affectu carere potest: sed ex ipsius ore agnoscitur Ulysses et plerumque ex vulneris cicatrice verbis suis fidem facit; non enim semper otium fuit Poetæ agnitionis modum ad artis subtilitatem concinnare: erit fortasse ubi nuda et simplex agnitio et animum magis moveat et structuræ fabulæ magis conveniat. Sed aliter alio in loco eadem re utitur Homerus. Ex cicatrice nutrix Euryclea Ulyssem agnoscit, non tamen ex ejus verbis sed fortuna quadam et sua opera adeo ut Poeta rebus se submittere non illis imperare videatur. Nunc igitur in ipsa agnitione, nunc in agnitionis modo, operam ponit. Restat illa qua in cœtu procorum Ulysses se declarat, quæ, ut vult Aristoteles[q], ita comparatur ut rerum mutationem co-

[q] *Poet.*, c. 26.

mitetur et eam ad exitum perducat. Post contumelias graves et tot injurias facultatibus et familiæ suæ et ipsi illatas tandem sociis et armis instructus simulatam personam exuit et fortunarum suarum vindex factis potius quam verbis hostibus se prodit:—

Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεύς,
Ἆλτο δ' ἐπὶ μέγαν οὐδὸν, ἔχων βιὸν ἠδὲ φαρέτρην
Ἰῶν ἐμπλείην, ταχέας δ' ἐκχεύατ' ὀϊστοὺς
Αὐτοῦ πρόσθε ποδῶν, μετὰ δὲ μνηστῆρσιν ἔειπεν [r].

Ita agnitionum seriem et omnes fere earum species habet Odyssea, et est vere, ut ait Aristoteles, *ἀναγνώρισις διόλου*. Subjungit protinus *καὶ ἠθικὴ*, ut ex secunda parte una cum Fabulæ partibus colorem et formam tam Epicæ poesi quam Tragœdiæ adscribat. Etenim ipsa Fabula ad personam aliquam exhibendam comparari, atque eo lectoris animum potissimum convertere potest, neque aliter Odysseæ argumentum exponit ipse Homerus:—

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη.

Et personæ cujusdam mores, ita inter agendum adumbrati, possunt per se ipsi eosdem affectus et eandem animi admirationem concitare quam graviores vitæ humanæ casus.

Non igitur exigua est illa Homeri laus hasce fabulæ partes quæ et seorsim in commovendo animo efficaces sunt, et conjunctæ totum opus complent, intellexisse et varie adhibuisse; usum esse illis, ut ad Aristotelem iterum provocem, *καὶ πρῶτον καὶ ἱκανῶς* [s]; adeo ut Tragœdia quæ recentiori serat ævi et novarum rerum studiosa ultra simplicem Epicæ poeseos dignitatem se attollere ausa erat, non tamen

[r] *Odyss.* X. 1. [s] *Poet.*, c. 24.

alias partes habuerit quas sibi adscisceret neque aliud incrementum excogitare potuerit, quam ut in scenam rem proferret, et narrationem Epicam prorsus desereret: si intra brevius spatium opus suum concluserit, si magis subitum rerum cursum tentaverit et fabulam curiosius involutam, hæc tamen ex illa differentia statim profluunt.

Itaque, ut verum loquamur, et propria mentis vi exploravit et docuit nos Homerus quænam fuerint in vita humana rerum vicissitudines quæ admiratione misericordia et cæteris affectibus nos commoverent et horum affectuum ope animum jam commotum erudirent et castigarent. Itaque aperuit et in medium protulit arcanos motus ex quibus in meliorem et generosiorem affectuum habitum effingi et perduci possemus. Ac certe dum hasce Homero laudes tribuo nulla ex parte ultra verum et proprium argumenti nostri cursum evagari mihi videor.

Tandem igitur totam Fabulam et Iliados et Odysseæ et insigniores utriusvis partes excussimus. Partes adhuc minores quæ ex una aut altera sententia constant evolvere et longum foret et supervacaneum: illæ etiam ejusdem sunt generis: sufficiat notasse etiam hasce fabellas non paucas ex vera historia derivari posse, minus autem nunc valere cum historiæ istius memoria ex animis hominum exciderit. Atque huic suspicioni cum fidem faciunt alia bene multa, exemplo sit illud quod de Antilochi morte apud Pindarum commemoratur, quatenus inquam Nestoris de Antilocho suo verbis vim et lucem afferat. Nestoris verba sunt apud Homerum filium inter cæteros qui ad Trojam occubuerunt deplorantis:—

Ἔνθα μὲν Αἴας κεῖται ἀρήιος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεὺς,
Ἔνθα δὲ Πάτροκλος θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος,
Ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος υἱὸς, ἅμα κρατερὸς καὶ ἀμύμων,
Ἀντίλοχος, περὶ μὲν θείειν ταχὺς ἠδὲ μαχητής[t].

Pindarus autem tanquam rem notissimam commemorans Antilochum occubuisse ait dum pro salute patris animam suam objiciebat:—

Ἔγεντο καὶ πρότερον Ἀντίλοχος βιατὰς
νόημα τοῦτο φέρων, ὃς ὑπερέφθιτο
πατρὸς, ἐναριμβρότον ἀμμεί-
-νας στράταρχον Αἰθιόπων Μέμνονα· Νεστό-
-ρειον γὰρ ἵππος ἅρμ' ἐπέδα
Πάριος ἐκ βελέων δαϊχθείς· ὁ δ' ἔφεπε
κραταιὸν ἔγχος.
Μεσσανίου δὲ γέροντος
δοναθεῖσα φρὴν βόασε παῖδα ὅν·

Χαμαιπετὲς δ' ἄρ' ἔπος οὐκ ἀπέριψεν αὐτοῦ,
Μένων δ' ὁ θεῖος ἀνὴρ πρίατο μὲν θανά-
-τοιο κομιδὰν πατρὸς[u].

[t] *Odyss.* Γ. 111.

[u] *Pyth.*, 6.

PRÆLECTIO DECIMA-OCTAVA.

FABULÆ Epicæ proximo in loco apponuntur Mores, (Ἦθος vocant Græci,) secunda Poeseos pars, in qua explicanda rem minime vulgarem neque exigui laboris in me suscipio, usu quidem illam omnibus notissimam, Scientia autem minus apertam. Paucis, et magis etiam quam solet summatim, de ea locutus est Aristoteles, harum rerum arbiter atque antistes, ita tamen ut pro more suo medias inter tenebras aliis quasi facem præferat. Cæteri recentiores, quantum scio, Morum scientiam quatenus rei Poeticæ subjiciuntur, intactam fere reliquerunt vel eam minus assecuti sunt. Nobis itaque de tota re in genere plenius disserendum est, quo rectius Homericam ex hac parte excellentiam explicemus, neque piget in hac sublimioris Poeseos vera laude et inter poetas Homeri operam ponere.

Jam vero facile omnes vident istius partis cum fabula legitimam esse et veram cognationem. Etenim Moribus illustrandis et declarandis inservit Fabula, atque eam cum illis societatem init ut cogitatione ipsa ægre se divelli patiatur: in hæc spatia quasi manu nos deducit. Sicubi Trojani belli mentio facta fuerit, Agamemnonis, Achillis, Hectoris et aliorum personæ una nobis obversantur. De eorum moribus et patriæ fortunis unica fit quæstio. Sicubi Athenarum historia indaganda fuerit, Peri-

cles, Socrates, Alcibiades, et cæteri illi magni nominis viri taceri non possunt. Quid egerint, quo pacto se gesserint, qua disciplina et indole imbuti fuerint statim disquiritur: non eos nominatim perstringit Historia sed in personis eorum describendis ultro immoratur. Nec vero fabulam comitatur tantum Morum adumbratio sed illi novas vires addit. Hinc succus et sanguis nudis ossibus induitur. Concesserim fortasse formam quandam ex rerum ordine fabulam accipere, sed requirimus propiorem vitæ similitudinem, formam denique si ita dicam animalem. Ita, ut ad Sculptoris artem provocemus, non satis est statuam ad hominis speciem effingi sed ad hominis personati habitum: ita in pictura non Zeuxis [a] aut Pausonis [b] ineptas sed Polygnoti moratas imagines admiramur, nec minus in poesi præter eventus vitæ et rerum ordinem personarum inter se collationem et congressum repræsentari volumus. Actionem hic etiam Moratam requirimus et veras voces quæ ad exemplar vitæ et morum componuntur et illud proxime attingunt. Quin et mera Fabula nulla loci et personarum ratione habita ad ea quæ nimis universalia sunt assurgit. Quanquam enim Poeseos propria sit illa quam antehac [c] tractavimus ἀναδρόμη ἐπὶ τὰ καθόλου, tamen suos limites transilit cum ad illa quæ maxime Universalia sunt evehitur, cum non humanarum rerum speciem quandam sibi subjectam habet, sed totum genus simul complectitur. Recte et subtiliter de omni Scientia pronuntiavit Plato [d], non satis esse illud quod unum est cognoscere, i.e. illud tantum de rebus compertum habere quod uni alicui generi

[a] Vid. *Aristot. Poet.*, c. 6. [b] Ibid., *Polit.*, l. viii. c. 5.

[c] Vid. *Præl.* 1mam. [d] In *Philebo* sub initio Dialogi.

subjectæ sunt, neque contra illa quæ infinita sunt numero, hæc enim animum complecti non posse; veram autem Scientiam in illis versari quæ hisce extremis media intercedunt, quæ inter se discrepant nec tamen infinite, quæ inter se conveniunt nec tamen ita ut nullas habeant proprias sibi differentias; pari modo res Poetica neque hominum singularium fortunas sibi pro argumento habet quæ infinitæ sint necesse est, neque ita ad Universalia se proripit, ut in summo genere consistat, ut vitam humanam nullis personarum et morum proprietatibus distinctam ante oculos ponat; hinc ex altera parte historiæ laudem exsuperat quæ intra singulorum res gestas continetur [e], ex altera Philosophiæ, quæ altius assurgit, quam ut ad vitæ necessitates facile revocari possit, et ex utraque decerpit ea quæ vere prosint. Hæc Poetice. Sed et ipsa Historia, ut notavimus, quantum licet huc confugere vult, unde gravissimus auctor Polybius [f], *τὰ παρεληλυθότα τῶν ἔργων ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων λαμβάνοντα τὴν δοκιμασίαν, ἀληθῶς ἐμφαίνει τὰς ἑκάστων αἱρέσεις καὶ διαλήψεις.* Neque vero affirmaverim nudam rerum seriem et recensionem nihil prorsus oblectationis in se habere. Ex ea certe tanquam ex re consimili de toto vitæ cursu aliquid discendum est, sed quam exilis sit et jejuna Annalium scriptura præ illa quæ causas rerum et consilia hominum in se capit Historia omnes sciunt. Quod si illa quæ animum maxime percellunt [g] (*περιπέτειαν* dico, *ἀναγνώρισιν, πάθος*) fabulæ partes sint, at etiam hæc

[e] Vid. *Aristot. Poet.*, c. 9.

[f] L. iii. p. 185. Inter cætera dum artem suam honesta laude auget, illud primo in loco ponit, ex præteritis rebus veram et intimam consiliorum humanorum notitiam erui posse.

[g] Vid. *Aristot. Poet.*, c. 6.

ipsa personis et moribus suis orbata minus valent. Si viri fortis et animosi interitus mentem tangat, at multo magis Patrocli interitus, honestæ et mitissimæ indolis viri et Achille amico non indigni; at multo magis Hectoris, patriæ suæ propugnatoris, tot domesticis et publicis virtutibus ornati. Siquid habeat in se jucundi subita cognatæ personæ agnitio, pulchrior tamen est Ulyssis agnitio post viginti annos in patriam reversi, tot laboribus terra marique exactis. Hæ itaque nobilissimæ Fabulæ partes neque propriam habent dignitatem neque justam vim si seorsim a personis suis conspiciantur, neque tam in rerum varietate quam in variis hominum virtutibus et vitiis et eorum cognationibus inter se permiscendis vitæ humanæ fortuna se exercet, unde paucos esse ait Aristoteles[h] quorum fortuna Tragicæ Poesi recte subjici potest, non tam in ipsis vitæ casibus quam in hominibus qui illis subjiciuntur vim Tragœdiæ ponens. Perlustramus itaque nudam rerum seriem et graviores vitæ casus deploramus tanquam in quibus "humani nihil alienum est." At ubi in hac serie singulis personis ingenio et moribus et conditione vitæ inter se distantibus sua destinata fuerint loca et agendi vices tum demum vera fit et pulchra vitæ imago.

Sed neque per se satis intelligi possunt et dijudicari rerum eventus. Ex Moribus enim tanquam ex fontibus et causis suis profluunt consilia atque exinde agendi norma et ratio; ex personis itaque hominum pendent privatorum atque etiam gentium fata, et ab iis reguntur. Frustra Actionem ipsam contemplamur nisi et ille etiam qui agit simul in conspectum cadat. Hinc ex rerum gestarum indaga-

[h] *Poet.*, c. 13.

tione ad hominum notitiam ultro deducimur. Senserunt hoc Historici. Itaque Thucydides ubi subtiliter Belli Peloponnesiaci causas evolvit in designandis Atheniensium et Spartanorum Moribus multus est: nec vero quanquam magnam argumenti sui dignitatem semper præ se ferens, singulorum etiam personas, Periclis inquam, Brasidæ, et Alcibiadis, intactas linquit aut leviter perstringit. Quantum ille Dii boni! ab iis qui in meris Annalibus congerendis se exercent discrepat. Hinc ex historia profluxit vel potius ab ea discerpta est *Biographia* quam vocant, quæ secundo tantum in loco res gestas sibi pro argumento habet, quatenus ad declarandam illustris alicujus Viri personam faciant. Sentiebant homines eruditi et acuti quam pulchra esset et splendida hæc historiæ particula, et nequid ex illa præ majoribus et magis publicis historiæ argumentis prætermitteretur aut eorum mole obrueretur, loco amotam et seorsim sumptam per se exornaverunt. Est itaque sanctioris et majoris Historiæ optima satelles et ministra. Tantum possunt Mores in publica et privata hominum vita moderanda. Itaque eos adsciscit Fabula ad complendam dignitatem suam et usum, denique tanquam ejus vitalem animam.

Sed et ipsi in se multum oblectationis habent. In universis Philosophiæ spatiis nihil quicquam pulchrius est, aut studiis nostris dignius quam mens humana, sive ejus in operando vim contemplemur sive in consiliis capiendis tacitos et quietos motus. Sed illi nos proxime tangunt humanæ mentis affectus, quibus voluptatis et doloris acrem sensum habet, quibus felicitatem tanquam finem suum respicit; et illi etiam quibus ad communita-

tem vitæ propellimur, quibus alieni metus et pericula et dolores curæ sunt nobis, Morales denique quos vocant affectus. His Natura tanquam ministris suis ciet nos ad agendum et inter agendum nobis moderatur. Hos capere et intelligere tam intra nosmet ipsos quam in aliis magni sit necesse est. Itaque naturæ fœdere levissimi mentis alienæ motus trahunt nos ad sese et expectatione defigunt. At eorum progressum intueri, quo pacto se in unum colligunt, et jam assuefacti animo et sæpius redintegrati eum totum occupant, personam denique vel Ἦθος complent, jure optimo etiam magis arrectos habet omnium animos. Itaque recte apud Xenophontem Socrates, dum pictorem ad imitandos mores tanquam optimum artis suæ scopum adhortatur eos appellat[1], *τὸ πιθανώτατον καὶ ἥδιστον καὶ φιλικώτατον καὶ ποθεινότατον καὶ ἐρασμιώτατον τῆς ψυχῆς ἦθος.* Nulla certe alia res animo humano magis blanditur, neque in alia verior inveniri potest pulchritudo, quam in affectuum justo ordine et inter se ratione; neque alia magis ad principem illam Scientiam deducimur qua nostros affectus et habitum animi et mores percallemus, dum in aliis eorum similitudinem et imaginem contemplamur: unde et ipsa Philosophia non dedignata est hoc Poetices proprium munus sibi adsciscere. Feliciter certe Plato et Xenophon Dramaticam et Ethicam disserendi formam vel ipsi Scientiæ intulerunt, adeo ut non tantum Socratis et aliorum argumenta sed eorundem etiam personas et mores intueamur: quæ siquis minus videt næ illum effugit magna ex parte Socraticarum chartarum venustas

[1] *Memorab.*, l. iii. c. 10.

et excellentia. Cæterum hæc Morum contemplatio tum maxime prodest ubi cum fine suo, hoc est cum Actionibus quæ ex illis proveniunt, una in conspectum cadant, ubi eorum commerçia et congressus in regendis et moderandis vitæ eventibus sese ostentant. Hoc demum est vitam humanam percallere: ita nos Poesis exemplis et viva rerum imagine erudit atque instituit, ita Philosophiæ nomen sibi arrogat et lucem etiam clariorem, ita teneros et incorruptos animos in virtutis cultum et amorem effingit, dum docet ea quæ honeste gesta sint, vel quod tantundem est eorum similitudinem, lætitia excipere, ea quæ prave aversari, atque adeo, illud quod in Ethicis tantum valet, voluptatem et dolorem recte ponere, ἡ γὰρ ὀρθὴ παιδεία αὕτη ἐστὶν[k]. Hanc imaginem Vitæ nobis præstat Epicæ poeseos Fabula legitime conformatam; quam excellentiam Homero authore eam assecutam esse credibile est, certe jam tum plene eam assecuta est: qua de causa fusius hanc rem evolvo, quod in illo immorari mihi videor quod Poetæ palmarium est: neque vero me diffiteor eum esse qui veram Ethicen omnium scientiarum Reginam esse arbitror.

Sed Fabulæ primas partes tribuimus: quæ quo sensu tribuendæ sunt facile jam dictu est. Itaque dignitate prior est Fabula quatenus finis rationem habet vel saltem ad exprimendum finem componitur. Etenim mores et consilia hominum res et actiones tanquam finem suum respiciunt et in illis terminantur. Felicitatem porro tanquam finem supremum omnes actiones nostræ spectant. Vitæ autem universæ imaginem nobis exprimit Epica Poesis et

[k] *Aristot. Polit.*, l. viii. c. 5; *Eth. Nicom.*, l. ii. c. 3. *Plat. de Leg.*, l. 2.

actiones adeo humanas quatenus ad felicitatem aut miseriam comparandam faciant: *ἐστὶ μίμησις πράξεων καὶ βίου καὶ εὐδαίμονιας καὶ κακοδαιμονίας*[l]. Nihil per se valent egregiæ animi dotes aut mores rite compositi nisi quod per illos ad honestam et felicem vitam recta itur: propter finem cui assequendo apti sunt expetuntur et magni æstimantur. Cedit itaque loco et dignitate morum conformatio vitæ tenori et cursui. Atque hactenus quidem recte. Sed tamen in progressu ad finem potius quam in ipso fine occupantur labores nostri, in effingendis moribus, in componendo mentis habitu, et in moderandis opinionibus nostris omnem fere operam ponimus: ulterius progredi non datur: non datur placidum et tranquillum locum obtinere, in quo omnibus satis compositis nihil ultra restat quam illa exercere quæ ad usum jampridem reposita sunt, quam sagittas ex pharetra depromere et ad scopum suum dirigere, qualem locum arroganter sibi fingit Poeta:—

> "Despicere unde queas alios, possimque videre
> Errare, atque viam palantes quærere vitæ,
> Certare ingenio, contendere nobilitate,
> Noctes atque dies niti præstante labore
> Ad summas emergere opes, rerumque potiri[m]."

Interveniunt et iter obstruunt et a recto tramite detorquent mille affectus et appetitus. Itaque in gubernando et in effingendo mentis habitu virtutis et vitii discrimen ponitur. In eodem loco a Poeta erudiendi sumus, nec sine summa oblectatione scientiam hanc ab illo accipimus et haurimus—*ἐστὶ μίμησις πράξεως καὶ διὰ ταύτην μάλιστα τῶν πρατ-*

[l] *Arist. Poet.*, c. 6.

[m] *Lucret.*, l. 2, 9.

τούτων[n]. In describendis itaque animi affectibus et moribus versatur verus Poeseos usus.

Rursus prior est Fabula cum totius rationem habeat, et mores complectatur tanquam partes sibi subjectas, quippe non hominum personas sed homines in vitæ negotiis et officiis occupatos imitatur sublimior Poesis. At vero hæ partes et per se splendidæ sunt et totius operis splendorem conficiunt. Ex his unicis totius pretium æstimari potest, neque enim vitæ casus quicquam habent pulchritudinis nisi ex eo quod ingeniis hominum materiam et laudis copiam præstant.

Cætera argumenta minora sunt. Si sine personis et moribus Tragœdia aut Epicum poema constare possit, si rerum Historia per se animum teneret, at tale opus imperfectum sit et mancum necesse est: fortasse quidem plus valeret quam nuda morum recensio. Si Fabulæ partes in animo permovendo aliquid possint, at ipsæ hæ partes ut vidimus sine personis suis justum pretium non ferunt. At contra mores hominum leviter tantum a rebus adjuti et vitæ casibus permisti longe exsuperant exactissimam Fabulæ normam sine ulla personarum distinctione. Exemplis hoc comprobare velim. Quænam fuerint Aristotelis *ἀήθεις τραγῳδίαι* non constat: periisse autem inter cætera Antiquitatis monumenta certum est, et quidem talium rerum facilis est jactura. Crediderim post Sophoclem et Euripidem nimii cultus et effœtæ artis progeniem fuisse, ubi ingenii vigor et acer ille poeticus Spiritus defloruerit. Inter Neotericos fortasse et inter Gallici Theatri scriptores ejusdem rei, siquis ea exquirere

[n] *Aristot. Poet.*, c. *6.*

velit, non desunt exempla. Nolo quidem ipse in istis tempus consumere, sed ad contrarii generis exemplum me conferam, ad Shakespearum nostrum, qui eam quam requirimus vitæ humanæ, morum, et personarum scientiam præ nativa animi magnitudine et acumine sibi comparaverat; quo nemo felicius intima hominum præcordia perspexerat, aut privatæ et publicæ vitæ officia perlustraverat. Desideravit idem artis nitorem et cultum, neque didicerat quænam sit legitima Fabulæ compages et vera integritas, neque totius justam magnitudinem neque partium inter se rationem respiciebat. Ex hac parte rudis et indoctus ad scribendum se contulit. Spirat tamen in ejus scriptis vera vis Tragica; neque quisquam certius lectoris animum rapit quocunque velit, aut in summa oblectatione gravioribus præceptis et monitis imbuit. Quæ omnia cum in cæteris ejus scriptis inveniuntur, tum in iis quæ Historica vocantur Dramata. Argumenta sua desumpsit Poeta ex vetustis Annalibus quibus vix magis horrida et incompta fuisse crediderim ea quæ celebrantur Pontificum Romanorum monumenta aut Fabii Annales. Nulla in illis artis aut compositionis vestigia, nullo nisi temporis ordine servato temere consarcinantur omnia, neque ullum habent consilium eorum Authores nisi ut fidelis rerum memoria conservaretur, neque aliam aucupantur laudem. Vidit autem Poeta illo quo pollebat animi acumine sæpe in iis hominum moribus et personis describendis locum dari: incidebat nimirum frequenter in res gestas quæ ex moribus hominum originem habuisse videbantur, vel saltem magnam cum illis societatem. Siqua igitur hujusmodi particula occurrebat, hanc sibi desumpsit et ornavit dictione

quidem paulo magis elata, magno autem et vero personarum discrimine. Ita conflata est Scena, totius operis membrum. Mox in eadem historiæ serie aliud consimile *ἀποσπασμάτων* pari modo conformavit, mox aliud atque aliud, atque hæc inter se narratione Dramatice interposita conjunxit; conservavit porro ordinem temporis, eo quo voluit nunc majore nunc minore intervallo, donec ex multarum partium vel Scenarum congestione totum opus in legitimi Dramatis magnitudinem accreverit: aliquo plerumque consilio finem operi imposuit, nec tamen accurate ad normam exacto, neque illud contra longe exquisivit ex qua parte initium sumeret. Ita dum rudis et squallidæ antiquitatis fido gressu vestigia sequitur, neque alia sibi divortia aut incrementa exquirit, nisi ut latentia personarum discrimina in lucem proferat, historiam conficit vero spiritu et usu Poetico imbutam, ut miretur siquis vetustos rerum Anglicanorum scriptores cum illius scriptis conferat, quam facili transitu et levi mutatione in hanc novam formam effinguntur. Haud absimili modo ex Plutarchi Julio Cæsare, Antonio, et Coriolano alia Dramata confecit, quæ historiam illorum temporum quam maxime illustrant, cum veram et vivam personarum imaginem exprimunt. Hoc vero est, ea enim de causa in hanc disceptationem incidimus, ex unica Morum imitatione, fabula saltem eatenus modo adhibita, ut non inertes sed inter agendam personæ conspiciantur, Poesin complere et ejus finem assequi. Neque injuria opera miramur quæ et vim Poeticam spirant et illum ejus usum assequuntur per quem Philosophiæ affinis est, ut de universa hominum vita et moribus nobis documento sit. Quid igitur? Nihili est Fabula aut præ Moribus nihili habenda? Nequa-

quam—imo ei minus studuisse Shakespearum dolemus. Ita enim ejus ingenii venam divitem temperavisset Ordo et Venustas et Judicium. Ita nativæ ejus dotes conjunctis viribus certius et fortius scopum suum attigissent, quas tamen, sint licet indomitæ et minus expolitæ, omnem exsuperare artis cultum affirmare non dubitaverim. Ita in se perfecta et suis numeris absoluta ad summum gradum evecta esset ejus excellentia et Homericam adæquasset. Quod si illum dixerit quis in parte et in inferiori Poeseos parte operam ponere, at inter hanc et cæteras, ornatam scilicet dictionem aut sententiarum argutias, longum est intervallum, hæ viliores sunt quam in quibus elaborandis magnus animus occupari possit: siquidem igitur in parte immoratus fuerit, at in illa quæ præstantioris est usus et pulchritudinis.

Sed hæc eo usque prosecutus sum, ut ostendam quam rationem inter se habeant Fabula et Mores tanquam duæ primores Poeseos partes; quid per se valeant, et quo modo mutuum sibi auxilium ferant, et ut utrique suum locum et usum adsignem. Sit itaque Fabula dignitate et magnitudine prior; atqui illud etiam comparet omnem suum usum et pulchritudinem et fulgorem ab ea quam cum moribus init societate accipere; quæ itaque pars cum secundum locum occupat alteri vix cedit; proprium denique sublimioris poeseos subjectum moratam esse Actionem. Et meminerimus hanc Homeri veram esse laudem, in fabula integra et ad severam artis normam composita tantam personarum varietatem et tam amplam vitæ atque morum scientiam intexuisse. At Virgilius in una persona totus est, et ipse etiam "Pius Æneas" (ut ipsius verbis utar

toties usurpatis) eminentiora Morum discrimina non habet. Cæteri siqui in medium proferuntur infimas partes agunt, in hoc aut illo loco semel conspiciuntur, nec vero in longa rerum gestarum serie et inter varias vices sibi constantem et æquabilem personam tuentur. Itaque singulorum affectuum potius et virtutum discrimina exhibent quam hominum in quibus affectus et virtutes tanquam elementa multimodis inter se conferuntur et implicantur. Contra autem ex personis et moribus Iliados et Odysseæ eventus profluunt. In altera ex Agamemnonis et Achillis congressu novus Trojano bello fervor et nova facies exoritur, in altera ex Ulyssis patientia et fortitudine et ipsius et suorum fortuna pendet.

Sed antequam in hanc disputationem interius delabamur, restat exponendum quænam sit in genere et late sumpta Morum adumbratio vel Ἦθος, ut Græco nomine rectius utamur.

Jam vero ad agendum propellimur partim ex affectibus qui ratione carent nisi quatenus ei obtemperent, partim ex ipsa ratione [o]. Quicquid horum fiat, vel subito impetu nato ex re aliqua nobis subjecta commovemur, vel magis composito mentis habitu et motu cui ex diuturno usu assuescimus. Si ex re unica habemus vel rationis monita vel affectuum motus, hæc certe non nisi ex re ipsa dijudicanda sunt, neque aliter provideri possunt: profluunt jam omnia ex iis quæ occasioni ipsi insunt, vel ex iis quæ in se habet affectuum incitamentis vel ratiocinandi materia et locis. Hactenus nil proderit

[o] Recte statuit *Aristoteles in Rhet.*, l. i. c. 10, eas omnes quæ ex mentis habitu profluunt Actiones ad λόγισμον vel πάθος referri posse, ex his enim tanquam ex principiis suis componitur mentis habitus vel persona.

illorum qui agunt personas exquirere. Sed hoc parcius locum habet. Eadem enim res in aliis alios motus ciet. Consuetudo nimirum et usus plerumque dominantur. Ratio cujusquam ad certam normam sensim se effingit et consimilem servat utrobique sententiam. Pari modo usu accrescit affectuum habitudo quædam, ita ut non recenti consilio in rerum occasiones nos præbeamus, sed de rebus ipsis dijudicamus ex opinionum et affectuum ratione, quam usus et experientia intra nos ita effinxit et comparavit, ut in omnes vitæ casus statim depromi possit, ex mentis denique habitu ab utraque parte. Siquis quærat unde hic menti habitus accesserit, dictu non foret difficile. Natura enim in alium atque alium affectum magis proni sumus: eadem lege in aliis atque aliis hominibus rationalis animæ vires magis aut minus validæ sunt. Utraque etiam pars mentis diversa incrementa sibi adsciscit, pro facultate ea recipiendi quæ nobis obversantur, pro rebus et hominibus quibus in pueritia et in adolescentia assuescimus, et a quibus opinandi et ratiocinandi materiam et modum haurimus, prout denique huic aut illi affectui indulgere aut moderari discimus. Diversæ itaque indoli accedit experientia in nullis omnino eadem, donec tota compages ita componitur ut in diversis hominibus in infinitas fere differentias abeat. Quin et in toto vitæ decursu nova quotidie incrementa insinuant sese, adeo ut alio tempore aliam quodammodo personam idem gerere videatur. Hæc consuetudo et rationi nostræ et affectibus obrepit: alia senescit. Inter cætera autem perstant magis quæ vel a natura ipsa accepimus, vel quæ nativis animi propensionibus conveniunt magis, vel denique ea quæ animo tenero

et nondum satis composito insita radices altius agunt. Reliqua bene multa meræ sunt exuviæ quas pro tempore et occasione sumit animus et ponit, quæ aliquando tamen ita in consuetudinem abeunt ut licet sero adhibita cum moribus antea comparatis societatem ineant, et ita tenaciter adhæreant ut non facile avelli possint. Sed mature assuescere sive opinioni sive affectui maximum est, proximum diu assuescere. Licet cum conditione vitæ mutata veniunt et abeunt mores, sunt tamen quædam plerisque quæ inter omnes rerum vices manent, quamvis pro ætate et conditione vitæ specie et colore et externo ut ita dicam habitu fiant diversa. Est enim ut in rebus ita in animi motibus et in iis quæ pariunt consiliis tenor quidam et cursus. Sunt in his etiam quæ vel necessario vel probabiliter causas suas comitantur vel consequuntur, quæ fiunt, ut cum Aristotele loquar, *κατὰ τὸ ἀναγκαῖον ἢ τὸ εἰκὸς*[p]. Ut ad argumentum denique redeam, præter illa quæ ex re aliqua et occasione nobis oblata eruenda sunt, tota opinionum et affectuum compages et eorum inter se ratio (quæ infinitis fere modis variari potest) ad agendum nos propellit: sæpe etiam ita propellimur antequam res ipsa satis explorari potest. Si itaque hanc compagem et hunc mentis habitum cognoverimus, de consiliis et Actionibus hominis judicium ferre possumus, de eorum saltem genere. Hisce enim consiliis etiam res ipsa se permiscet, neque tam accurate judicium de alterius mente ferre possumus ut Actionem ipsam et ejus modum definiamus, sed de ejus genere tuto pronunciamus, v.g. si de aliquo

[p] *Poet.*, c. 15.

compertum habuerimus posse illum affectibus moderari, et acri judicio omnia quæcunque obveniant subjicere, quo pacto se geret latebit forsan, sed prudenter se gessurum esse non dubitamus. Contra si huic aut illi lubidini obnoxius sit, ut nequeat rationi serio consulere, temere et inconsulto rem gessurum pronuntiamus, ubicunque inciderit occasio quæ lubidinem hancce commoveat. Siquem in misericordiam et humaniores affectus pronum esse noverimus, benevolum saltem in aliorum infortunia se præbiturum confidimus. A tyranno vicissim et immiti homine omnia contraria justa suspicione prætimemus. Ab Achille statim gravem et ferocem iracundiam expectamus, siquid illi ad honorem iter obstruat, ab Agamemnone vim et injuriam siquid regiæ potestati et dignitati, quam sibi arrogabat, adversetur. Ita animadvertendo quæ antea quis egerit aut dixerit, quo modo se gesserit, quibus virtutibus et vitiis deditus fuerit (iisdem enim fere per omnem vitam obnoxii sumus, eandem viam insistere pergimus) habemus quo revocamus, hoc est, sub quo genere distribuamus Actiones etiam nondum in lucem prolatas. Jam vero ad illam Aristotelis definitionem devenimus, quæ totam hanc rem complectitur. *Ἔστι δὲ ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν ὁποίά τις ἐστὶν, ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον, ἢ προαιρεῖται ἢ φεύγει ὁ λέγων*[q]. Morum itaque notitia et adumbratio in hoc versatur, ut in quavis re secretum animi consilium, *τὴν προαίρεσιν*[r], seu quis elegerit aliquid seu aversatus fuerit, ita intelligamus et exponamus, ut ex quo genere, sit *ὁποία*

[q] *Poet.*, c. 6.

[r] *τῆς δὲ ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων διανοίας μίμησίς ἐστιν ἡ τοῦ βίου προαίρεσις.*—*Clem. Alex. Pæd.*, l. iii. c. 11, p. 253.

τις ἐστὶν, judicari possit, antequam verbis aut factis sententiam suam declaraverit. Omnia quæcunque huc faciunt, utcunque a verbis, sententiis, et rebus suis non nisi cogitatione divelli possint, complent illam Poeseos partem quæ Græco nomine appellatur Ἦθος [s].

Hæc itaque de istius partis usu, loco, et de universa ejus descriptione.

[s] ταῦτα ὅσα ἠριθμήσαμεν καλεῖται μὲν ἤθη, γίνεται δὲ ἦθος.— *Dion. Hal.*, Τέχνη, p. 91.

Oratores et Scriptores quamplurimos suorum temporum ex parte Morum vel negligentes vel fœde lapsos esse narrat Dionysius Hal. præter Demosthenem Platona et Homerum, qui omnes huic rei egregie satisfecerint. — Τέχνη, περὶ τῶν ἐν μελεταῖς πλημμελουμένων.

Istam autem partem ita collaudat; p. 90.

Παιδεία ἄρα ἐστὶν ἡ ἔντευξις τῶν ἠθῶν.

PRÆLECTIO DECIMA-NONA.

UNIVERSAM descriptionem istius Poeseos partis quæ Ἦθος appellatur eo usque pertulimus, ut illam ex opinionibus et affectibus humanæ mentis, multimodis inter se consociatis et in eam compagem coeuntibus quæ omni nostræ vitæ et singulis actionibus præsit, pendere satis constaret. Sunt itaque opiniones et affectus personæ et morum elementa, quæ siquis penitus norit et eorum inter se nexus eundem moratæ vitæ scientiam attigisse judicemus. Libero itaque et soluto jam cursu in Homericam ex hac parte prudentiam et solertiam delabimur.

Nec vero de opinionum conformatione et rationalis mentis facultatibus multa sunt dicenda. Illa quæ in scientiis conspicitur nuda et severa ratio intra poesin vix cadit. Illa quæ in vitæ præceptis eruendis et exponendis versatur alteram poeseos partem conficit, quæ διάνοια vocatur et suum sibi locum vindicat. Illa quæ animi affectibus se immiscet, et eorum motus temperat et gubernat, una cum ipsis affectibus tradi et explorari potest. Sufficiat in transcursu hoc saltem notasse nativam ejus vim et authoritatem Homerum prorsus intellexisse. Haudquaquam illum effugit quam proclivi et furtivo gradu animus humanus huc delabitur, et ad rationales suas facultates ultro provo-

care solet, quasi sine illis exserere sese et ad agendum accingere prorsus nesciret, adeo ut in affectibus maxime violentis aliquis tamen fieri soleat discursus. Hæc inter alias afferri potest causa, quamobrem tot colloquiis et tam frequentibus orationibus poemata sua distinxerit et illustraverit, quæ omnia siquis in longum producta vel nimis frequenter et parum opportune interposita arbitratus fuerit, at meminerit Poetam necessaria scribendi lege ea longius enarrare quæ inter loquendum breviter peraguntur, multo etiam magis ubi verbis exponenda sunt secreta animi consilia quæ inter cogitandum brevi temporis momento et pernicitate quæ alatum fulgur exsuperet mens pertransierit. Noluit autem Homerus non aperire motum animi et sententiam qua sibi et aliis actiones suas commendat et tuetur. Hunc itaque extemporalem discursum *λόγον ὃν αὐτὴ πρὸς αὑτὴν ἡ ψυχὴ διεξέρχεται περὶ ὧν ἂν σκοπῇ*[a], sæpenumero attingit, tacite etiam monet lectorem se illud agere in formula:—

Ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός[b].

Et illum etiam designat qui in affectibus interponitur:—

Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν[c].

Commotum et elatum animum hæc spectant nec tamen rationis expertem: atque etiam rationis et affectuum in intimo pectore congressum attingit ut in illis quibus seipsum increpat Ulysses et laborantem animum demulcet:—

[a] *Plat. in Theætet.*, p. 138. *Edit. Ficini.* Vid. ejusdem *Sophist.*, p. 184.

[b] *Il.* Λ. 407; Ρ. 97; Χ. 122—385; Φ. 562.

[c] Ibid. Σ. 5; Φ. 53.

ἐν στήθεσσι καθαπτόμενος φίλον ἦτορ.
Στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ·
Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης [d].

Hæc est illa mentis vis, inquit Plato [e], qua in sese redit, et secum tanquam cum alia re colloquitur, minas ingerit, aut solatium adhibet, monet et castigat sese, et affectibus suis demum moderatur. Varios etiam hinc inde dubitantis animi motus depingit Poeta :—

— πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρε [f].
— πυκίν' ἐν στήθεσσιν ἀνεστονάχιζ' Ἀγαμέμνων
Νειόθεν ἐκ κραδίης [g].

In his igitur et cæteris ejusdem generis locis agnoscit Poeta præsentem ubique et promptam rationis vim et summam ejus in mente humana authoritatem. Singulis etiam suum colloquendi habitum et normam passim tribuit ita ut non tantum ex re sed ex persona etiam hominis argumentis forma et color accedat. Ratio enim humana utcunque sit eadem et sibi constans pro diversa tamen conditione vitæ et toto morum systemate in diversas opiniones abit, neque una semper via et certo cursu ad scopum tendit sed mille habet anfractus et diverticula.

Hæc itaque illam mentis partem spectant quæ habitus est simplicioris et constantioris.

Affectuum dispar est ratio, qui et numero plures sunt et mille modis inter se permiscentur. Nostrum est Homeri ex hac parte scientiam demonstrare, breviter quidem, sed ita ut ostendamus eum percalluisse veram eorum naturam et proprietates, et quatenus sibi invicem aut rationi subjiciuntur et

[d] *Odyss.* Υ. 17.

[e] *In Phædon.*, p. 71. *Edit. Ficini.*

[f] *Il.* Φ. 551. *Odyss.* Δ. 427 —552; Κ. 309.

[g] *Il.* Κ. 9.

in quam partem animum correptum aut inclinatum ferunt. Sunt enim affectus isti tam poetæ qui in exprimendis illis versatur quam oratori qui in excitandis, (ut Plutarchi verbis utar,) *τόνοι καὶ φθόγγοι ψυχῆς μάλ' ἐμμελοῦς ἁφῆς καὶ κρούσεως δεόμενοι*[h]. Nec vero mihi in animo est omnes mentis affectus aut omnia quæcunque ab Homero prolata in hanc rem cadant percurrere, sed pauca tantum quæ exempli loco sufficiant, sed affectus quosdam eminentiores et qui in vita humana dominantur magis; Iram dico, Timorem, Misericordiam, Amicitiam, Indignationem.

Iræ ferox et immanis affectus in uno Achille plene locum habet. Proprium est personæ istius facilem iracundiæ aditum dare, et jam ab initio Iliados eum vehementer hoc affectu commotum habemus. Ac principio indoles et conditio hominis huic affectui concitando occasionem præbent. En juvenem et ingentis spiritus virum qui ex Trojano bello gloriæ largam messem se reportaturum esse confidit: hinc multa sunt quæ illi vel iter obstruant vel obsistere et minus quam par est obsequi videantur: illata est ab Agamemnone injuria jam tum cum satis pro imperio vatem Calchanta palam eloqui jubet et quasi in clientelam suam recipit: itaque statim sibi non auscultari ægre fert[i]. Est autem injuria istius generis quam *ὀλιγωρίαν* vocant Græci[k]: exinde irascitur quod illum Agamemnon contemptui habet, itaque recte non de detrimento facto sed de læso honore ipse toties queritur:—

Ἠτίμησεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας[l].

[h] *Plut. in Vit. Periclis.* c. 2. Definit. Iræ.
[i] *Il.* A. 121, &c.
[k] Vid. *Aristot. Rhet.*, l. ii.
[l] *Il.* A. 356.

Ipsius jussu qui dederat et quasi manibus abreptam Briseida deplorat. Iterum:—

— γέρας δέ μοι ὅσπερ ἔδωκεν,
Αὐτὸς ἐφυβρίζων ἕλετο [m].

— ὅς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν
Ἀτρείδης, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην [n].

Nullam vero sibi gratiam referri [o]:—

— ἐπεὶ οὐκ ἄρα τις χάρις ἦεν,
Μάρνασθαι δηΐοισι μετ' ἀνδράσι νωλεμὲς αἰεί [p].

Se summis honoribus dignum ludibrio haberi indignatur:—

— ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν [q].

Oportet enim inferri injuriam *μὴ προσηκόντως* [r]. Vindictæ etiam et ultionis lubido quæ affectui huicce propria est non deest:—

— εἴποτε δ' αὖτε
Χρειὼ ἐμεῖο γένηται ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι
Τοῖς ἄλλοις [s].

Et iterum:—

Πρίν γ' ἀπὸ πᾶσαν ἐμοὶ δόμεναι θυμαλγέα λώβην [t].

Nempe Achilles ut Homericis etiam verbis utamur:—

— ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ [u].

Qualis ea sit vindicta ostendit Ulyssis exultatio in Odyssea:—

Φάσθαι Ὀδυσσῆα πτολιπόρθιον ἐξαλαῶσαι,
Υἱὸν Λαέρτεω, Ἰθάκῃ ἔνι οἰκί' ἔχοντα [x].

[m] *Il.* I. 367.
[n] Ibid. 647.
[o] *Arist. Rhet.*, l. ii. c. 2.— ὑφ' ὧν τις οἴεται εὖ πάσχειν δεῖν.
[p] *Il.* I. 316.
[q] Ibid. A. 412.
[r] *Arist.* Definit.
[s] *Il.* A. 340.
[t] Ibid. I. 387.
[u] Ibid. A. 82.
[x] *Odyss.* I. 504.

Dolorem etiam suum et angorem animi declarat Achilles :—

> Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ[y].

Ita ea omnia quæ Aristotelicam complent Definitionem a poeta non leviter adumbrantur sed diserte et suo quæque in loco. Sunt et alia quæ cum minora sint fortasse hujusce affectus indicia, et ab iis quæ diximus profluunt, et vera sunt tamen et ex intima morum humanorum scientia deducta. Iram tanquam subdolam et fallacem execratur Achilles :—

> Ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο
> Καὶ χόλος, ὅστ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι,
> Ὅστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
> Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται ἠΰτε κάπνος[z].

Verum est siquidem in summo animi dolore insinuare sese voluptatis quiddam dum futuram vindictam mens prospicere et haurire gestit et novo exinde impetu fervet. Nec vero expers est rationis iracundia, in disquirendo enim quam hæc omnia fortunis et meritis nostris indigna sunt acriorem spiritum concipimus. Hinc in 1mo et in 2do libro multus est Achilles et coram ipso Agamemnone et legatis Græcorum in exponendis suis injuriis. Rursus fortitudini inservit ira ita ut non immerito videatur fortitudinis species quædam[a]: hinc illud Homeri :—

> — μενος καὶ θύμον ἐγεῖρε[b].

ἰτητικώτατον γὰρ, ait Aristoteles, *ὁ θυμὸς πρὸς τοὺς κινδύνους.* Misericordiæ et quicquid est lenioris affectus ex adverso opponitur[c]. Hinc Achil-

[y] μετὰ λύπης. *Rhet.*, l. ii. b. 2. Definit. *Il.* I. 642.
[z] *Il.* Σ. 107.
[a] Vid. *Arist. Eth. Nicom.*, c. 3—11.

l. iii. c. 8.
[b] Vid. *Il.* E. 510.
[c] Vid. *Arist. Rhet.*, l. ii.

lem jubet Phœnix ingentes spiritus compescere ut misericordiæ locus sit:—

> Ἀλλ' Ἀχιλεῦ δάμασον θυμὸν μέγαν· οὐδέ τί σε χρὴ
> Νηλεὲς ἦτορ ἔχειν[d].

Hinc Achilles ipse inexorabilem se declarat dum Patrocli morte commotus fervet animus:—

> Πρὶν μὲν γὰρ Πάτροκλον ἐπισπεῖν μόρσιμον ἦμαρ,
> Τόφρα τί μοι πεφιδέσθαι ἐνὶ φρεσὶ φίλτερον ἦεν
> Τρώων[e].

Et mox:—

> Ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ· τίη ὀλοφύρεαι αὔτως;
> Κάτθανε καὶ Πάτροκλος ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων[f].

Illud etiam animadvertit Poeta magnæ potissimum fortunæ hunc affectum competere:—

> Θυμὸς δὴ μέγας ἐστὶ διοτρεφέος βασιλῆος[g]·

et in ea etiam fortuna altius insidere[h]:—

> Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ·
> Εἴπερ γάρ χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
> Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ,
> Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι[i].

Sunt et iræ diversa genera apud Homerum. Subitam iracundiam quæ laboranti animo[k] se ingerit, siquid ex minima parte illi adversetur, habemus in postremo Iliados libro in Priami verbis[l] ad natos suos et ad Trojanos; pronus enim est in omnem speciem violentioris affectus animus jam commotus. Sub fine Iliados ipsa Achillis ira consilio et cursu

[d] *Il.* I. 492.
[e] Ibid. Φ. 100.
[f] Ibid. 106.
[g] Ibid. B. 196. Unde *Euripides.*—Δεινὰ τυράννων λήματα, κ.τ.λ., *Med.* 120.
[h] *Rhet.*, l. ii. c. 2., ἀγανακτοῦσι γὰρ διὰ τὴν ὑπεροχήν.
[i] *Il.* A. 80.
[k] *Rhet.*, l. ii. c. 2, ὅταν λυπῶνται, κ.τ.λ.
[l] *Il.* Ω. 289, &c.; 258, &c.

suo immutatur; idem tamen perstat acer atque inflammatus spiritus, facilius est enim torrentis cursum alio deflectere quam in medio cursu torrentem ipsum sistere. Etiam occiso Hectore vix expletur et defervet illa immanis rabies :—

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων [m].

In Odyssea longe diversa est ejusdem affectus facies: ab Achille multum discrepat Ulysses :—

Μνηστήρεσσι φόνον σὺν Ἀθήνῃ μερμηρίζων [n].

Hæc enim est ea quæ summis contumeliis et injuriis lacessita justam et honestam vindictam expetit, quæ itaque rationi auscultat et ejus moderamen ex omni parte subit, intra pectus delitescens donec venerit sua occasio, et tum demum stimuli vicem habet, qui in debito et magno supplicio inferendo animum cieat et sustineat.

Hunc itaque affectum tanto cum acumine perlustravit Poeta, ut ad Philosophiæ normam omnia se revocanda ultro præberent.

Sunt inter personas Homericas quædam quibus minores partes ideo delatæ esse videntur, ut affectui alicui aut virtuti illustrandæ inservirent. Timoris exemplum est Dolon, et istius timoris qui vilis et inhonesti est animi; temere et præpropere incepto se offert, etenim temeritas timori sæpe præit: utrique commune est justo consilio carere; pergit idem inconsulto et festinanter :—

— ὁ δ' ἄρ' ὦκα παρέδραμεν ἀφραδίῃσιν [o].

Mox ubi hostis et periculi factus est conscius, suboritur ea animi perturbatio et consilii inopia quæ huic affectui præ cæteris competit :—

Γνῶ ῥ' ἄνδρας δηΐους λαιψηρὰ δὲ γούνατ' ἐνώμα
Φευγέμεναι [p].

[m] *Il.* Ω. 54. [n] *Odyss.* Υ. 2. [o] *Il.* Κ. 390. [p] Ibid. 358.

Et iterum :—

— ὁ δ' ἄρ' ἔστη τάρβησέν τε
Βαμβαίνων· ἄραβος δὲ διὰ στόμα γίνετ' ὀδόντων
Χλωρὸς ὑπαὶ δείους [q].

Est enim timor λύπη τις ἢ ταραχὴ [r]. Lachrymæ ejus et preces et suorum prompta proditio ejusdem sunt animi sensus: et ex adverso veræ fortitudinis eorum, qui alia longe mente et diverso consilio pari incepto se obtulerant, justa exultatio magnifice in illis Diomedis declaratur :—

Ἦ ῥά νύ τοι μεγάλων δώρων ἐπεμαίετο θυμὸς,
Ἵππων Αἰακίδαο δαΐφρονος [s]·

Illi caute et prudenter tantum opus susceperunt. Ferox Diomedes socium sibi petiit et Græcorum omnium prudentissimum delegit, nec sine solemni Minervæ invocatione egressi sunt. Itaque illa animi præsens fiducia, quæ veræ fortitudini usque adsistit, et in via et in ipsis hostium castris eos tuetur. Alio etiam in loco recte depingitur vehemens perturbatio quæ animum metu correptum excruciat; loquitur Poeta de insidiis struendis in quibus summa timori occasio datur. Etenim animi facultas quæ φαντασία vocatur cum in aliis tum in hoc præcipue affectu dominatur, quæ in magno et instanti et incerto simul periculo habet quo se liberius exerceat; vult enim in campo minus explorato spatiari; unde illud Homeri Κῆρας ὀϊομένῳ: ex incerta futuræ stragis suspicione res pendet. Tota descriptio sic se habet :—

Εἰ γὰρ νῦν παρὰ νηυσὶ λεγοίμεθα πάντες ἄριστοι
Ἐς λόχον (ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρῶν)
Ἔνθ' ὅ, τε δειλὸς ἀνὴρ, ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη·

[q] *Il.* K. 374. [r] *Arist. Rhet.*, l. ii. c. 6. [s] *Il.* K. 401.

Τοῦ μὲν γάρ τε κακοῦ τρέπεται χρὼς ἄλλυδις ἄλλῃ,
Οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσθαι ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμὸς,
Ἀλλὰ μετοκλάζει τε καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει,
Ἐν δέ τε οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει
Κῆρας ὀιομένῳ· πάταγος δέ τε γίνετ' ὀδόντων[t].

Inter cætera quæ timorem incutiunt ponit Aristoteles virtutem injuria lacessitam, *ἀρετὴν ὑβριζομένην*[u], cujus rei insignia exempla sunt in Iliade Achilles:—

Γνῷ δὲ καὶ Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων
Ἣν ἄτην ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισε[x].

Et in Odyssea Ulysses procorum contumelias secum ægre ferens:—

— ἀκέων κίνησε κάρη, κακὰ βυσσοδομεύων[y]·

non levem certe vindictam et stragem hic versus toties usurpatus prænuntiat. Alia sunt quæ diversum animi affectum hinc oriundum spectant. Oritur fortitudinis species quædam quam politicam fortitudinem vocat Aristoteles[z], ex infamiæ vel civilis ignominiæ metu. Hinc Polydamantis convitia sibi fortiter agendi causam habet Hector:—

Ὤ μοι ἐγὼν εἰ μέν κε πύλας καὶ τείχεα δύω,
Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει[a].

Hinc Hectoris exultationem Diomedes:—

Ἕκτωρ γάρ ποτε φήσει ἐνὶ Τρώεσσ' ἀγορεύων,
Τυδείδης ὑπ' ἐμεῖο φοβεύμενος ἵκετο νῆας[b].

Oritur alia ex supplicii metu, unde Agamemnon:—

Ὃν δὲ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
Μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα
Ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς[c]·

[t] *Il.* N. 276.
[u] *Arist. Rhet.*, l. ii. c. 6.
[x] *Il.* A. 411.
[y] *Odyss.* P. 465.
[z] *Eth. Nicom.*, l. iii. c. 8.
[a] *Il.* X. 99.
[b] Ibid. Θ. 148.
[c] Ibid. B. 391.

et easdem alio in loco suis minas intentat Hector[d]. In his igitur duæ timoris species permiscentur, quarum alia aliam expellit. Fortitudinem quæ ex ira provenit prius attigimus. Aliam quæ ex experientia accrescit[e] Hector præ se ferre videtur :—

Αὐτὰρ ἐγὼν εὖ οἶδα μάχας τ', ἀνδροκτασίας τε,
Οἶδ' ἐπὶ δεξιὰ, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν
Ἀζαλέην· τό μοι ἔστι ταλαύρινον πολεμίζειν.
Οἶδα δ' ἐνὶ σταδίῃ δηΐῳ μέλπεσθαι Ἄρηϊ.
Οἶδα δ' ἐπαΐξας μόθον ἵππων ὠκειάων[f].

Compertum etiam habuit Homerus hujusce affectus verum usum, novit in vera fortitudine justi metus particulam inesse, unde de viro forti in trepidis rebus :—

— οὐδέ τι λίην ταρβεῖ[g] ·

non eum timore omni vacuum esse vult sed perturbatione omni vacuum, *ἀτάραχον*. Quin et Achillem suum non sine metu quodam cum Hectore congressurum esse ait :—

Καὶ δ' Ἀχιλεὺς τούτῳ γε μάχῃ ἐνὶ κυδιανείρῃ
Ἔῤῥιγ' ἀντιβολῆσαι[h].

Novit etiam ignominiæ metum vel verecundiam optimum esse virtutis stimulum :—

Ἀλλήλους αἰδεῖσθε κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας[i]

Imperatoris monitum est. Sæpe etiam apud illum *αἰδὼς καὶ δέος*[k] optimis personis tribuuntur tanquam virtutis elementa. Testimonium huic rei dat Plutarchus—*καὶ τὴν ἀνδρειάν δὲ μοι δοκοῦσιν οὐκ ἀφοβίαν ἀλλὰ φόβον ψόγου καὶ δέος ἀδοξίας οἱ*

[d] *Il.* O. 348. Vid. *Eth. Nic.*, l. iii. c. 8.
[e] *Eth. Nic.*, l. iii. c. 8.
[f] *Il.* H. 237.
[g] Ibid. N. 284.
[h] Ibid. H. 113.
[i] Ibid. E. 530.
[k] Ibid. O. 657, &c.

παλαιοὶ νομίζειν[1], et Homerum protinus citat. Metum insuper istius qui nobis longe sit superior non inhonestum esse pronuntiat, tanquam illud arrogantiæ sit non fortitudinis cum potentiori certare:—

Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσασχ' ὅτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο [m].

Et iterum:—

— Τυδείδης δ' ἀνεχάζετο τυτθὸν ὀπίσσω,
Μῆνιν ἀλευάμενος ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος [n].

Restant nobiles illi affectus quibus ad communitatem vitæ tuendam et ad officia humanitatis propellimur; quales sunt, Amicitia, vel Amoris insita vis, Misericordia, Indignatio. Amicitia quidem virtutis speciem habet, sed ex affectu animi oritur et pendet, qui quidem affectus omnium latissime patet et cariorum vitæ officiorum fons est unicus et sustentaculum. Hanc ejus variam et late diffusam vim omni ex parte prosequitur Homerus.

Amoris qui inter cognatos intercedit (κηδείαν vocant Græci) nulla deest species. Paternæ erga filium caritatis exempla sunto Priamus et Ulysses; filii erga patrem reverentiæ religiose servatæ Telemachus et grandævi Nestoris deliciæ Antilochus: Desiderii absentis conjugis Penelope: Amoris erga præsentem Andromache. Fraternæ amicitiæ illud Ajacis:—

Τεῦκρε φίλη κεφαλή [o].

et Agamemnonis ad Menelaum recens vulneratum in 4to libro oratio, fidei et amoris servi erga herum Philætius et Eumæus. Cognationem quæ inter

[1] *Plutarch. in Vit. Cleomenis*, p. 1482. Edit. H. Steph.

[m] Versum hunc citat ex Homero, *Arist. Rhet.*, l. ii. c. 9, una cum vers. 542. *Il.* Λ.

[n] *Il.* E. 443.

[o] Ibid. Θ. 281.

Regem et ejus subditos intercedit paternæ erga natum caritatis similem esse vult:—

— πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν [p].

pari cum studio nobilem suum alumnum Achillem amplectitur Phœnix. Nec vero non capit Poeta benevolentiam quæ universum hominum genus sibi carum esse putat:—

— φίλος δ' ἦν ἀνθρώποισι [q].

Hæc quidem omnia virtutum in loco ponenda esse facile quis dixerit, sed ex insita quadam mentis vi tanquam ex fonte suo derivari apud Homerum agnoscas, ex affectu per quem ea volumus fieri [r] quæ aliis prosint et ubi facta fuerint gaudemus. Quin et varios Amicitiæ usus [s] pro diversa vitæ conditione ex illo depromas. Amicos esse pauperibus perfugium, ut cum ab Alcinoo Ulysses benigne excipitur: eosdem adolescentibus custodes et monitores, ut cum Achilli præcipit Phœnix [t], Antilocho Nestor [u]. Senes iisdem tanquam imbecillæ ætatis famulis et ministris uti: quo sensu tot natorum funera deplorat Priamus: in virili ætate eosdem esse magnarum rerum socios et adjutores:—

— εἴ τις μοι ἀνὴρ ἅμ' ἕποιτο καὶ ἄλλος
Μᾶλλον θαλπωρὴ καὶ θαρσαλεώτερον ἔσται.
Σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν
Ὅππως κέρδος ἔῃ· μοῦνος δ' εἴπέρ τε νοήσῃ
Ἀλλά τε οἱ βράσσων τε νόος λεπτὴ δὲ τε μῆτις [x].

Ex eodem affectu ad peregrinos tuendos et excipiendos cient homines hospitii jura quæ passim apud Homerum memorantur. Ex eodem cives ad

[p] *Odyss.* B. 47.

[q] *Il.* Z. 14.

[r] τὸ βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθά. *Rhet.*, l. ii. c. 4.

[s] Vid. *Arist. Eth. Nicom.*, l. viii. c. 1.

[t] *Il.* I.

[u] Ibid. Ψ.

[x] Ibid. K. 222.

politicam concordiam et mutuum auxilium cohortandos esse docet tota et Iliados et Odysseæ fabula, neque vero sine amicis et sociis potentia sua et divitiis principes viri frui possunt:—

Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενὲς, ὀλβιόδαιμον,
Ἦ ῥά νύ τοι πολλοὶ δεδμήατο κοῦροι Ἀχαιῶν [y].

Intellexit etiam poeta finem et subjectum amoris esse vel illud quod bonum est vel illud quod jucundum [z]; illud quod bonum est quatenus ut in exemplis supra citatis in virtutem se effingit, illius quod jucundum est vim satis exprimunt:—

— ὁμηλικίην ἐρατεινήν [a].

Μύθοισιν τέρποντο πρὸς ἀλλήλους ἐνέποντες [b].

Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς
Πάρφασις ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων [c].

Affectum autem istum in amicitia proprie dicta plene exponunt quæ de Achille et Patroclo in Iliade traduntur.

Hoc igitur commune vinculum est quo omnis vitæ humanitas continetur: sed et proprium habemus vinculum quo ad aliena infortunia sublevanda sollicitamur. Hic jam opus est acriori sensu et vehementiori mentis motu. Misericordia itaque omnium fere animos tangit. Priami erga Achillem preces totam rem continent. Inest in hoc affectu doloris aliquid. Itaque Achilles in lachrymas prorumpit:—

Οἰκτείρων πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον [d].

Oritur ex magni mali opinione: itaque Priamus rerum vices quas ipse expertus est recenset. Necesse est etiam illum quem miseramur indignum fore qui

[y] *Il.* Γ. 182.
[z] Vid. *Arist. Eth. Nicom.*, l. viii. c. 2.
[a] *Il.* Γ. &c.
[b] Ibid. Λ. 642.
[c] Ibid. Ξ. 216.
[d] Ibid. Ω. 516.

hæc patiatur[e]: quod etiam in Priamo locum habet. Nos etiam vel nostros oportet iisdem infortuniis obnoxios esse[f]. Itaque statim Priamus Peleum in partes suas trahit:—

Μνῆσαι πατρὸς σεῖο θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
Τηλίκου ὥσπερ ἐγὼν ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ[g].

addit mox:—

— αὐτόν τ' ἐλέησον
Μνησάμενος σοῦ πατρός[h].

et Achilles:—

— κλαῖεν ἑὸν πατέρ', ἄλλοτε δ' αὖτε
Πάτροκλον[i].

Nec vero longe a nobis abesse oportet eadem infortunia:—

Καὶ μέν που κεῖνον περιναιέται ἀμφὶς ἐόντες
Τείρουσ', οὐδέ τις ἐστὶν ἀρὴν καὶ λοιγὸν ἀμῦναι[k].

Itaque in misericordiam proclives sunt quibus multi sunt nati affines aut amici[l]; hinc enim latius patent ea quæ ad nos pertinent, infortuniis jam magis sumus obnoxii, magis jam sentimus communem humanam generis sortem nobis imminere. Hinc tantum valent Andromaches verba:—

— ἄγε νῦν ἐλέαιρε καὶ αὐτοῦ μίμν' ἐπὶ πύργῳ
Μὴ παῖδ' ὀρφανικὸν θείῃς, χήρην τε γυναῖκα[m].

Huic autem affectui ira prorsus adversatur, ut vidimus: adversatur etiam fortitudo[n], unde illa de Hectore:—

Οὐ γὰρ μείλιχος ἔσκε πατὴρ τεὸς ἐν δαῒ λυγρῇ[o].

[e] του ἀναξίου τυγχάνειν. *Rhet.*, l. ii. c. 10.

[f] ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειεν ἂν παθεῖν. Ibid.

[g] *Il.* Ω. 486.

[h] Ibid. 503.

[i] Ibid. 511.

[k] Ibid. 488.

[l] οἷς ὑπάρχουσι γονεῖς ἢ τέκνα, κ.τ.λ. *Rhet.*, l. ii. c. 10.

[m] *Il.* Z. 431.

[n] μήτε ἐν ἀνδρίας πάθει. *Rhet.*, l. ii. c. 10.

[o] *Il.* Ω. 739.

Indignationem, utcunque misericordiæ se opponat, ejusdem tamen esse indolis et personæ tradit Aristoteles [p]. Oritur ex acri rerum humanarum et publicæ utilitatis sensu, siquis indignus magna fortuna et læto rerum successu fruatur, vel siquis superbe sibi arroget ea quæ longe exsuperant ejus conditionem et merita: agnoscit frequenter hunc affectum animi Homerus dum vocabulis utitur *νέμεσις*, *νεμεσητὸν*, *νεμεσίζομαι* quæ omnia huc referri possunt.

Affinis huic rei est Æmulatio quæ ex magnis beneficiis et veris laboribus sibi locum et gradum quærit. Hæc in singulis fere personis Homericis conspicitur, et utcunque specie discrepet semper tamen ea aucupatur quæ ad honorem faciunt, *τὰ ἔντιμα ἀγαθὰ* [q], seu imperium sibi arroget Agamemnon, seu gloriam Achilles, seu prudentiæ laudem Ulysses, seu sapientiæ longo usu comparatæ Nestor, seu militarem virtutem Diomedes. Idem omnes ardor atque honestæ laudis amor agit, specie pro sua cujusque persona diversus.

Intellexisse igitur Homerum unde hi affectus originem ducunt, et qua via et modo animum tangunt et rapiunt satis constare arbitror. Ad Ethicen et ad Rhetoricen Aristotelis tanquam ad amussim revocavi omnia (apud alios enim authores vix quicquam reperio quod ex re nostra siet), apud eum habes nudam earum rerum scientiam quæ apud Homerum exemplis exhibentur. Siquis hæc ipsa magna ex parte ab Homero desumpta esse dixerit non inficias eo, sed cum vita humana et animi indole optime quadrare affirmaverim. Non in uno

[p] *Rhet.*, l. ii. c. 11.

[q] Ibid., l. ii. c. 13.

aliquo authore immoratus est Philosophus sed omnem vitam perlustravit: perinde autem erat ex Homero atque ex hominis natura materiem suam desumere: in illa scientiæ amplitudine quam ingenti animo complexus est non habuit quo se rectius sisteret. Scio me insigniores tantum affectus tractasse et de iis etiam quæ dixi pauca esse et jejuna: alia sunt ejusdem generis numero infinita. Singuli fere versus Homerici aliquem animi motum exhibent. Qui plura velit itaque ipsum iterum atque iterum evolvat, et quo magis non dico ad Aristotelem sed ad veram et sanam Ethices Philosophiam provocaverit, eo magis Homerum in deliciis habebit. Hæc sufficiant exempli loco. Eadem omnia informat veritas fuco et vanitate expers.

Præterea hinc liquet spem et metum singulos affectus permeare et omnem vitam regere. Spem venturam animo præcipimus seu nos permoveat ira vel æmulatio vel amicitia. In omni timore et misericordia mali futuri imago nos vexat. Ex hac phantasia singulis affectibus modum statuit Poeta; neque illum effugit voluptatis etiam quiddam in pessimo vitæ statu sensim se insinuare[r], eam autem non consequi tantum dolorem ut in illo:—

— μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἦτορ,
Ὅστις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πολλ' ἐπαληθῇ[s].

sed comitari etiam et una adesse:—

— τοῖσι δὴ πᾶσιν ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο[t].

Contra ut ait Lucretius:—

— "medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angat[u]."

[r] *Arist. Rhet.*, l. i. c. 11, καὶ ἐν τοῖς πένθεσι ἐγγίνεταί τις ἡδονή.
[s] *Odyss.* O. 399. [t] *Il.* Ψ. 108. [u] L. iv. 1126.

Ex his pendet duorum patris Jovis doliorum fabula Homerica.

Jam vero pro insita indole, pro rationalis mentis vigore, pro ætate et conditione vitæ[x] singuli affectus in varios habitus coeunt et inter se vi et forma sua discrepant. Insitæ a natura indolis rationem habuit Homerus quatenus tot principibus ævo et loco et fortuna fere æqualibus distinctam personam tribuit. Quin et prudentiæ tam insitæ quam usu et doctrina comparatæ alii aliam partem distribuit. Pro ætate cujusvis similis est morum discrepantia, non tantum paucis verbis hic illic prolatam habes sententiam illam :—

— ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται[y].
Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις[z].

sed in personis potius Achillis Telemachi et Antilochi, quorum duo posteriores pulcherrimum dant exemplar honestæ et ingenuæ simplicitatis, et justæ etiam erga seniores reverentiæ quæ juventutis vera est corona, et ardoris etiam quo spe elati læta omnia et fausta prospiciunt, ζῶσι τὰ πλεῖστα ἐλπίδι[a]. Quod senectutem attinet quis non longam Nestoris experientiam agnoscit? cujus est ut Homeri verbis utar—νόησαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω—ut Aristotelis — μνήμῃ μᾶλλον ἢ τῇ ἐλπίδι ζῆν[b]. In Priamo lentum habes et gelidum senectutis animum. In Ulysse, vigilem et cautam et suspicionis plenam prudentiam quæ malorum vitæ et nequitiæ hominum nimium usum habuit[c]. Virilis ætatis constantem et temperatum animum multa illustrant exempla[d]. Quod conditionem vitæ attinet

[x] Vid. *Rhet.*, l. ii. c. 14. [y] *Il.* Γ. 108. [z] Ibid. Ψ. 590.
[a] *Rhet.*, l. ii. c. 14. [b] Ibid., c. 15. [c] Ibid. [d] Ibid., c. 16.

habent ex illustri genere Diomedes et Achilles generosam et magnificam indolem [e], Proci divitiarum et luxuriæ arrogantiam [f], Agamemnon potentiæ fastum et splendorem, ἀξίωμα, Alcinous prosperæ fortunæ mollitiem [g].

Ita et elementa morum per se intellexit Poeta, et eorum locum et cursum in vita et fortunis hominum. Quatenus ad virtutem vel ad vitium animos hominum effingunt rectius alio in loco dicendum est ubi documenta et præcepta ad mores pertinentia quæ in Homericis carminibus reperiuntur excutienda suscipimus.

[e] *Rhet.*, l. ii. c. 17. [f] Ibid., c. 18. [g] Ibid., c. 19.

PRÆLECTIO VICESIMA.

AB instituti operis recto cursu paululum defleximus dum in evolvenda Homeri solertia et scientia ex parte affectuum humanorum immorati sumus. Redeo itaque unde abii. Universam istius poeseos partis quæ Ἦθος vocatur rationem descripsimus, communionem ejus cum fabula et utriusque partis simul sumptæ conjunctam vim plene satis declaravimus. Disquirendum est igitur, siquidem animo divelli possunt ea quæ re ipsa arctissime inter se colligantur, ex quibus vinculis pendet illa fabulæ cum moribus consociatio et concentus quem sublimioris poeseos veram metam esse pronuntiavimus. Et si in hoc peragendo exemplis ab Homero desumptis utamur, simul constabit quid ille ex hac parte effecerit.

Principio itaque fabula intexuntur mores ubicunque rei vel actioni ipsi apponitur consilium hominis et secretus animi motus, vel quod vocant Græci *τὸ οὗ ἕνεκα*[a], hoc est causa quæ ad actionem finis locum habet.

Etenim in agendo vel ex nuda re per se sumpta sententiam animi haurimus, quod tamen accurate loquendo raro fit (affectus enim et opiniones quibus diu assuevimus facile se ingerunt) vel ex mentis habitu et illa quam nobis instituimus agendi norma.

[a] Vid. *Arist. Rhet.,* l. iii. c. 16, Ἠθικὴν δὲ δεῖ, κ.τ.λ.

Hæc itaque norma in uno aut altero consilio plerumque se prodit, a multis autem abesse non potest. Causa adeo agendi et finis in unoquoque homine ad ejus rationem vitæ nos deducit, et proinde ad illos mores sive habitus qui rationem vitæ regunt et effingunt. Hæc omnia extra ipsam actionem sunt et in re poetica extra fabulam nisi quatenus personas et mores hominum fabula in se capit. Nec vero necesse est longam hujus rei recensionem inire et singulorum consilia fuse exponere; hoc enim est actionem et fabulam deserere: tentanda est magis arcta et implicata harum partium inter se consociatio.

Ac primo quidem in verbis et orationibus personæ alicui attributis facile subjectæ materiæ immiscetur animi consilium et agendi ratio. Solent enim homines ex eadem re diversa argumenta depromere, vel saltem super eadem re diversis argumentis uti, dum submittit sibi res ipsas et in suos usus transfert et colorem illis offundit animus humanus. Exemplis hoc comparebit.

In 1mo Iliados libro pacare vult Nestor Agamemnonem et Achillem inter se decertantes, nec vero iram tantum et fastum et lites exinde ortas improbat, sed loquitur tanquam ille qui ex longo usu et sera ætate didicerit quanti sit in vita temperate et modeste agere, qui etiam patris fere loco ab aliis habebatur :—

'Αλλὰ πίθεσθ'· ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν ἐμεῖο [b].

transgreditur igitur nudam loquendi occasionem Poeta ut consilium et personam Nestoris exprimat quæ jam ab hoc tempore rata est et confirmata.

[b] *Il.* A. 259.

In 2[do] libro idem super re longe diversa concionem habet; eodem tamen animi consilio ut prudentiam experientia comparatam et provectioris ætatis authoritatem præ se ferens cæteris moderetur. Pari modo in 4[to] libro et suos adhortatur et Agamemnoni respondet:—

— πάλαι πολέμων εὖ εἰδώς[c].

Ita rei ipsi quæcunque sit adhibetur grandævi senis authoritas. Eodem cum artificio in 4[to] libro Agamemnonis personam rebus immiscet Poeta. In oratione ad fratrem et in cæteris quæ sequuntur ad alios principes concionibus Imperatoris vigil atque attentus animus passim se prodit. In fraterna qua Menelai vulnus deplorat caritate meminit tamen se esse magni exercitus ducem:—

Καὶ κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἱκοίμην[d].

Cæteros duces non tantum hortatur ut ordines instruant et in prælium educant, sed objurgat etiam et dictis provocat quo fortius sub ejus signis bella moveant. Illi interea pro suo cujusque mentis consilio diversis modis respondent. Idomeneus præ se fert promptam veterani militis fortitudinem:—

Ἀτρείδη, μάλα μέν τοι ἐγὼν ἐρίηρος ἑταῖρος
Ἔσσομαι, ὡς τὸ πρῶτον ὑπέστην καὶ κατένευσα[e].

Ulysses honestæ laudis appetens ægre fert se timoris aut cunctationis insimulari. Sthenelus etiam magis objurgationis impatiens superbe et arroganter contra verba facit. Diomedes summa cum observantia Imperatori se submittit, satius esse innuens in ipsa pugna strenue agendo famam suam tueri. Tam dispar est in eadem re pro diversis singulorum consiliis et ea quam sibi proposuerant vitæ norma

[c] *Il.* Δ. 310. [d] Ibid. 171. [e] Ibid. 263.

diversorum hominum oratio. In legatione ad Achillem eadem est personarum discrepantia, dum extra eum quem communem habent omnes agendi finem ex privato consilio suam quisque metam spectat, et suam insistit viam. Ulyssi in animo est eloquentiæ palmam sibi asserere et verborum vi atque artificio auditoris animum flectere. Phœnix Achillem tanquam alumnum suum alloquitur et in memoriam illi revocat curam et amorem quo illum in prima pueritia fovebat, monitis etiam et exemplis allatis ad saniorem mentem revocare vult. Ajax paucis et ferociter suas partes peragit. Unam rem omnes agunt sed dispari studio et longe alio animi motu. Non igitur ex argumentis unicis hæc legatio constat sed ex morata oratione. In eodem libro Diomedes dum Agamemnoni adversatur finem illum, quem semper propiori quasi conspectu ante oculos habet, militaris virtutis gloriam verbis clare enuntiat atque adeo mores suos et animi habitum.

Iterum Sarpedon Glaucum socium suum ad strenue pugnandum hortatur propter finem quem tam magnificis verbis declarat regis erga subditos suos officium. Mollissimis verbis Andromachen suam solatur Hector, sævis Parida objurgat; sed in his tam diversis rebus idem eminet honestus amor patriæ qui in moribus ejus dominatur.

Sive igitur super eadem re alia alii loquantur, seu in diversis una fere sit aut consimilis ejusdem personæ sententia, certe ii qui loquuntur extra eam quam nuda res offert materiem evagantur et suos animi habitus affectus vel opiniones quibus assueverint cum rebus immiscent, et conficiunt hanc quam diximus fabulæ et morum societatem. Rursus in priori Odysseæ parte, quicquid dixerit Tele-

machus et coram quibuslibet, semper tamen obversatur animo patris absentis desiderium et domus suæ fere jam obrutæ exoptata instauratio: in posterioribus libris pariter Ulyssis totum animum occupat honestæ vindictæ spes et propior expectatio; et Eumæo etiam sua persona et mores tribuuntur ex ea quam in omnibus verbis et gestis ante oculos habet erga regem et dominum suum illæsa fide. Hæc vero omnia attingunt præceptum illud Aristotelis, *καὶ μὴ ὡς ἀπὸ διανοίας λέγειν, ἀλλ' ὡς ἀπὸ προαιρέσεως*[f]. Depingit enim Poeta motus animi qui non tam ex re subjecta profluunt et eam sequuntur quam ex præmeditato animi consilio, ex inveterato aliquò affectu et confirmato mentis habitu. Vult autem Aristoteles sermonem et modum loquendi non rationis processum legitime deductum referre sed ratam animi sententiam. Ita fœmineæ vindictæ violentiam declarat Juno:—

> Ἦ τοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες,
> Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη,
> Τὰς διαπέρσαι, ὅταν τοι ἀπέχθωνται περὶ κῆρι[g].

ita regii imperii fastum Agamemnon:—

> Τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν[h].

suum uterque decretum et propositum mentis omni rationis serie semota. Hæc itaque morum notitia ex ipsis singulorum verbis elicitur.

Sed et in iis quibus ab aliis compellantur idem patet. Breviter enim sæpe in compellando aliquo mores ejus et genus vitæ attingimus. Afferam duo insignioris notæ exempla. Diomedis ad Nestorem verba quibus vigil laboriosi senis animus vivis coloribus exprimitur:—

[f] *Aristot. Rhet.*, l. iii. c. 16. [g] *Il.* Δ. 51. [h] Ibid. Α 29.

Σχέτλιός ἐσσι γεραιέ, σὺ μὲν πόνου οὔποτε λήγεις [i].

et illa quibus Ulyssem alloquitur et socium sibi adsciscit:—

Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην,
Οὗ πέρι μὲν πρόφρων κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Ἐν πάντεσσι πόνοισι, φιλεῖ δέ ἑ Παλλὰς Ἀθήνη [k].

Denique agendi causa et finis et studia hominum eorum orationibus et colloquiis inter agendum se immiscent, et proinde in Epicam imitationem una cum ipsis Actionibus transferri possunt.

At secundo inter narrandum illorum qui agunt consilia et affectus adumbrare potest Poeta, dum singulis ea tribuit quod vel actionem vel agendi modum spectat quæ moribus suis conveniant. Hinc Menelaus in 3tio Iliados libro viso Paride in primam aciem prorumpit injuriarum suarum memor:—

Ὥστε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας [l].

Hinc in 5to ardet Diomedes primam militaris gloriæ palmam arripere. Atque hæc sæpissime leviter perstricta ad intimam personam hominis ultro nos remittunt. Ipse etiam rerum gestarum ordo et ratio, cum ex consiliis hominum revera pendeat, ita disponi potest ut non parum adjumenti huc conferat, si inter agendum eum quisque locum et sedem occupet et eas partes agat quæ moribus ejus conveniant. Rectius Diomedes in primo congressu conspicitur: rectius Ajax in murorum et navium oppugnatione hostium impetum sustinet: eorundem alter cum consilio strenuus atque impiger nocturnæ explorationi aptior est, alter ferox et magnitudine corporis insignis qui Hectori in singulari certamine opponatur. Hæc majora: nec vero minor in cæteris poetæ cura ut singulis personis, etiam

[i] *Il.* K. 167. [k] Ibid. 242. [l] Ibid. Γ. 23.

iis quæ infimas partes agunt, suum locum et agendi vices tanquam bonus pictor apte et moribus accommodate dispertiat. Atque hoc iterum est fabula mores intexere. Modus autem loquendi et agendi (ut redeam paululum in vestigia) tum maxime mores exprimit ubi impense atque acriter sine ulla cunctatione res geritur: jam tum enim videmur non ex præsenti consilio agere, sed ex affectibus et opinionibus quæ ratum habent in pectoribus nostris imperium, quæ dominantur potius rebus quam illis obsequuntur. Agamemnon in loco supra citato non tam exquirit quid valeant Chrysæ preces quam statim ex insita superbia et fastu animi rem decernit:—

Ἀλλὰ κακῶς ἀφίει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε [m].

Achilles pariter in 1mo Iliados libro moram consilii capiendi non fert sed ex audacia et ingenti spiritu Calchanti statim patrocinatur:—

Θαρσήσας μάλα εἰπὲ θεοπρόπιον ὅ, τι οἶσθα [n].

Similiter uterque inter altercandum ex iis potius quæ animo suo quam quæ occasioni ipsi inerant rem dijudicat. Hac itaque ratione earum personarum notitiam quæ primas partes agunt et sub ipso initio operis debent lectori innotescere, notitiam aperit Poeta et confirmat. In minoribus idem fit. Tlepolemus, generis nobilitatem præ se ferens, alia omnia consilia nihili habet ubi hunc suum animi habitum congressus cum Sarpedone Jovis filio suscitaverit:—

Ψευδόμενοι δέ σε φασὶ Διὸς γόνον αἰγιόχοιο
Εἶναι [o].

Eadem cum promptitudine Ajax sortitas singularis certaminis vices excipit:—

[m] *Il.* A. 25. [n] Ibid. 85. [o] Ibid. E. 635.

Ὦ φίλοι ἤτοι κλῆρος ἐμὸς, χαίρω δὲ καὶ αὐτὸς
Θυμῷ· ἐπεὶ δοκέω νικησέμεν Ἕκτορα δῖον [p].

nec minore cum consilii celeritate suis legationis ad Achillem partibus perfungitur. Hectoris etiam ad Polydamantem objurgatio animi est rem et occasionem suis affectibus submittentis :—

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης [q].

Prompta adeo agendi et loquendi celeritas ad mores aperiendos facit. Porro affectus hominum rebus et verbis immiscuisse morum et personæ imitationem proxime attingit. Hujusce rei, ut supra exposuimus [r], præclara exempla apud Homerum passim reperiuntur. Orationes affectuum maxime plenæ sunt inter alias. Achillis ad Ulyssem responsum in 9no Iliados libro ; Helenes ad Priamum in 3^tio^ ; Andromaches ad Hectora in 6to mollissima verba ; Priami et Hecubæ ad eundem cum Achille jam congressurum. Menelai et Nestoris ad Telemachum orationes in Odyssea, in quibus omnibus, si de præsenti rerum statu verba facta sint, at enim vehemens et concitata loquendi ratio affectuum est. Sæpenumero etiam uno fere vocabulo aut brevi saltem loquendi formula non obscure designatur affectus animi, sicubi actioni ipsi mentis motum unde processerit adjiciamus. Ita Chrysæ mæstus et abjectus animus depingitur :—

Βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης [s].

Ita Ulyssis et sociorum ejus ab extremo vitæ discrimine vix jam elapsorum intimi pectoris gaudium et effugii sui sensus :—

Ἄσμενοι ἐκ θανάτοιο φίλους ὀλέσαντες ἑταίρους [t].

p *Il.* H. 190.
q Ibid. M. 243.
r Vid. *Prælectionem* 19^nam^.
s *Il.* A. 34.
t *Odyss.* K. 134, &c.

ita ejusdem Ulyssis tacita sed atrox et efferata vindictæ spes:—

Ἀλλ' ἀκέων κίνησε κάρη κακὰ βυσσοδομεύων [u].

Addas Eurylochi ad Ulyssem preces:—

Μή μ' ἄγε κεῖσ' ἀέκοντα διοτρεφὲς ἀλλὰ λίπ' αὐτοῦ [x].

Denique ut hæc omnia quæ percurri summatim complectar, aut ex ore ipsius personæ quam in medium proferimus declarari potest ejus animi consilium et sententia, (quæ sententia si usu frequentata fuerit jam ad mores complendos facit, vix unquam autem ex rebus unice pendet et ita est solitaria ut nullam habeat cum statu animi societatem) aut possunt mores ex verbis quibus alii aliquem compellant exponi, aut inter narrandum a poeta designari ex actione vel agendi modo singulis personis attributo, aut ex rerum distributione et loco quem singuli occupant et agendi vicibus, aut ex celeritate et promptitudine factorum et verborum in qua confirmatus animi habitus se exserere videtur, aut, etiam si mentem affectu aliquo concitatam exprimamus, nudam hic quoque rerum seriem transgredimur et ex parte attingimus vivam morum descriptionem.

Sunt et alia haud dubia morum indicia, quæ apud poetas usurpantur, externa dico signa quæ affectus aut mores comitantur, *ἄλλα ἠθικὰ*, ait Aristoteles, *τὰ ἑπόμενα ἑκάστῳ ἤθει* [y]. In ipso vultu incessu et gestu plurima sunt quæ vulgo ad mores hominum referuntur, quæ et intellectu facilia sunt et communi omnium usu notissima, unde Virgilius, "Vera incessu patuit Dea [z]." In externo cor-

[u] *Odyss.* P. 465.

[x] Ibid. K. 266.

[y] *Aristot. Rhet.*, l. iii. c. 16.

[z] *Æn.*, l. I.

poris et vultus habitu, ait Xenophon, omnes fere virtutum et personarum varietates conspiciuntur[a], *ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ μεγαλοπρεπές τε καὶ ἐλευθέριον καὶ τὸ ταπεινόν τε καὶ ἀνελεύθερον, καὶ τὸ σωφρονητικόν τε καὶ φρόνιμον, καὶ τὸ ὑβριστικόν τε καὶ ἀπειρόκαλον καὶ διὰ τοῦ προσώπου καὶ διὰ τῶν σχημάτων, καὶ ἑστώτων καὶ κινουμένων ἀνθρώπων διαφαίνει*, neque aliter mores humanos (utpote qui ipsi visum omnino effugiunt) adumbrare potest pictor aut sculptor nisi ex hisce externis in corpore indiciis scite adhibitis, quorum tamen opera intelligimus et miramur. Eadem signa sua imitatione exprimere potest Poeta. Hoc artificio præcipue morata fit Terentii in Andria sua pulcherrima narratio. Hoc illa quam ex ejusdem Adelphis citat Cicero:—

> "Venit ad me sæpe clamitans. Quid agis Micio?
> Cur perdis adolescentem nobis[b]?"

Vehementia illa et clamor signa sunt animi perturbati. Nec vero nobis Homerum deserere opus est. Agamemnoni assignatur in vultu et in toto corpore *τὸ μεγαλοπρεπές*:—

> Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ
> Ἄρει δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι[c].

Rursus in 3tio libro gestu et statura corporis regiam majestatem præ se fert:—

> Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
> Οὐδ' οὕτω γεραρόν· βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικε[d].

Idem agitur magis prolixe et operose in 11mo Iliados libro. Armatura Herois, Junonis et Minervæ plau-

[a] *Xen. Mem.*, l. iii. c. 10.
[b] *De Invent.*, l. i. c. 19.
[c] *Il.* B. 479.
[d] Ibid. Γ. 169.

sus, quo eum in prælium emittunt, moribus ejus et conditioni conveniunt:—

— ἐπὶ δ' ἐγδούπησαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη.
Τιμῶσαι βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης [e].

Rursus Achillis gravis et tristis iracundia in lachrymis ejus et solitudine conspicitur. En veri luctus imaginem!—

— Αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
Δακρύσας ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθεὶς,
Θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς, ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον [f].

Mox diversum illi locum destinat poeta, et ex ipso spectaculo quod coram oculis habere gestit animum vindictæ spe arrectum describit:—

Εἱστήκει γὰρ ἐπὶ πρύμνῃ μεγακήτεϊ νηΐ,
Εἰσορόων πόνον αἰπὺν, ἰῶκα τε δακρυόεσσαν [g].

Ejusdem ardor dum Vulcania arma excipit in corpore etiam se prodit:—

— ἐν δέ οἱ ὄσσε
Δεινὸν ὑπὸ βλεφάρων, ὡσεὶ σέλας, ἐξεφάανθεν·
Τέρπετο δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων θεοῦ ἀγλαὰ δῶρα [h].

Mox exeunti in prælium alia tribuuntur:—

Τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε· τὼ δέ οἱ ὄσσε
Λαμπέσθην, ὡσεί τε πυρὸς σέλας [i].

Ejusdem exultatio qua filii sui Neoptolemi famam et res gestas audit ex incessu etiam patet:—

— ψυχὴ δὲ ποδώκεος Αἰακίδαο
Φοίτα μακρὰ βιβῶσα κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα
Γηθοσύνῃ, ὅ οἱ υἱὸν ἔφην ἀριδείκετον εἶναι [k].

Ex ipso etiam incessu patet Diomedis post increpatum Menelum pugnandi ardor:—

Δεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσιν ἄνακτος
Ὀρνυμένου· ὑπὸ κὲν ταλασίφρονά περ δέος εἷλεν [l].

[e] *Il.* Λ. 45. [f] Ibid. Α. 348. [g] Ibid. Α. 599. [h] Ibid. Τ. 16.
[i] Ibid. 365. [k] *Odyss.* Λ. 537. [l] *Il.* Δ. 420.

Externis etiam ex indiciis constat Æneæ imago Pandari corpus protegentis:—

> Ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖνε, λέων ὥς, ἀλκὶ πεποιθώς.
> Πρόσθε δέ οἱ δόρυ τ' ἔσχε, καὶ ἀσπίδα πάντοσε ἴσην,
> Τὸν κτάμεναι μεμαὼς, ὅστις τοῦ γ' ἀντίον ἔλθοι [m].

Et ut ad alterius generis exemplum transeamus Andromaches Hectori suo valedicentis:—

> — ἄλοχος δὲ φίλη οἶκόνδε βεβήκει
> Ἐντροπαλιζομένη, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέουσα [n].

Quin et Ajax vultu etiam se declarat cum singulari certamini se accingit:—

> Μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι [o].

Ex similibus signis constat ejusdem descriptio extremo in discrimine pro castris et navibus Græcorum propugnantis:—

> — νηῶν ἴκρι' ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων·
> Νώμα δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσι, κ.τ.λ.[p]
>
> Αἰεὶ δὲ σμερδνὸν βοόων Δαναοῖσι κέλευε [q].

Et Hectoris etiam post longam oppugnationem intra murum Græcorum prorumpentis:—

> — ὁ δ' ἄρ' ἔσθορε φαίδιμος Ἕκτωρ
> Νυκτὶ θοῇ ἀτάλαντος ὑπώπια [r].

Addas licet Diomedem somnum capientem ut Græcis verbis utamur:—

> Ἐκτὸς ἀπὸ κλισίης σὺν τεύχεσιν [s].

Hoc enim est ea complecti quæ personæ congruant et eam comitantur. Antilochi etiam ingenua et honesta indoles similiter declaratur in ejus luctu ob Patroclum occisum:—

[m] *Il.* E. 299. [n] Ibid. Z. 495. [o] Ibid. H. 212.
[p] Ibid. O. 677. [q] Ibid. 688. [r] Ibid. M. 462.
[s] Ibid. K. 151.

— Ἀντίλοχος δὲ κατέστυγε μῦθον ἀκούσας·
Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε· τὼ δέ οἱ ὄσσε
Δακρυόφιν πλῆσθεν, θαλερὴ δέ οἱ ἔσχετο φωνή [t].

Atque iterum rectius, cum equum certaminis præmium ultro in manus Menelai tradit:

Ἦ ῥα καὶ ἵππον ἄγων μεγαθύμου Νέστορος υἱὸς
Ἐν χείρεσσι τίθει Μενελάου [u].

Sed totus locus consulendus est. Verba enim Antilochi eodem faciunt. In Odyssea etiam ejusdem rei insignia sunt exempla. Magni animi luctus sua habet externa signa in illis quæ de Ulysse memorantur:—

— αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
Κακκεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα,
Αἴδετο γὰρ Φαίηκας, ὑπ' ὀφρύσι δάκρυα λείβων [x].

Ejusdem Ulyssis vis et spiritus quo ad ulciscendum se prodit ipsa celeritate et modo agendi breviter expeditur, ita tamen ut longiorem et magis operosam descriptionem facile exsuperet:—

Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεὺς
Ἆλτο δ' ἐπὶ μέγαν οὐδὸν ἔχων βιὸν ἠδὲ φαρέτρην
Ἰῶν ἐμπλείην, ταχέας δ' ἐκχεύατ' ὀϊστοὺς
Αὐτοῦ πρόσθε ποδῶν μετὰ δὲ μνηστῆρσιν ἔειπεν [y].

Quod si hæc indicia uni alicui personæ et certo morum systemati propria sint ut in plurimis locis supra citatis v. gr. in illa Ajacis imagine eo certiora sunt et magis clara. Hæc sunt Aristotelis τὰ ἴδια [z], per quæ narrationi Rhetoricæ mores induci posse ait. Alia sunt quæ breviter et suo more vocat ἃ

[t] *Il.* P. 694.
[u] Ibid. Ψ. 596.
[x] *Odyss.* Θ. 83.
[y] Ibid. X. 1.

[z] *Arist. Rhet.*, l. iii. c. 16, aliter legitur τὰ ἰδίᾳ ἢ αὐτῷ ἢ ἐκείνῳ προσόντα.—Sed tantundem est.

ἴσασι[a], signa nimirum quæ communi usu omnibus innotuerunt. Omnes intelligimus ex quonam animi sensu explicandum est illud Homericum :—

Δεξιτερῆς ἕλε χειρὸς[b].

illud dare dextram amicitiæ et fidei pignus esse usu compertum est. Lachrymæ etiam subulci et oscula in Telemacho excipiendo[c] nota sunt signa officii et pietatis erga dominum suum, itaque ut ait Aristoteles—σύμβολα γίνεται ταῦτα ἃ ἴσασι ἐκείνων ὧν οὐκ ἴσασι[d].

Sed hæc in affectibus magis cernuntur quæ motu fere violento corpus exercent, quorum itaque symbola vel signa insigniora sunt et notiora, subjicit Aristoteles—πλεῖστα δὲ τοιαῦτα λαβεῖν ἐξ Ὁμήρου ἐστὶν—et citat illud ex Odyssea :—

— γρηῢς δὲ κατέσχετο χερσὶ πρόσωπα[e].

Nota, inquit, hæc est actio illorum qui in lachrymas prorumpunt: "Vultus, ait Cicero, imago est animi, indices oculi[f]." Quicunque igitur sedulo animadverterit, quinam vultus color atque habitus, quinam oculorum obtutus, et quænam totius corporis commutationes singulos affectus consequuntur, illi profecto in promptu sunt quibus affectus istos in rerum narrationem facile transferat: neque hoc artificium eget interprete: facilis sunt et vulgaris notitiæ omnium fere affectuum externa signa; affectus autem operi immiscuisse proximum est morum imitationi, cum illi magna ex parte personam et mores

[a] *Arist. Rhet.*, l. iii. c. 16.
[b] *Il.* H. 108.
[c] *Odyss.* Π. 15.
[d] *Arist. Rhet.*, l. iii. c. 16.
[e] *Odyss.* T. 561.
[f] *Cic. de Oratore*, l. i. c. 59.

complent. Hoc tantum interest quod affectus ex paucis symbolis seu signis dignosci possunt, mores ex multis crebro usu frequentatis.

Hæc igitur fere sunt vincula quorum ope inter se coeunt et arctissime colligantur duæ præcipuæ Poeseos partes, Fabula et Mores; quæ consociatio (ut diximus) conficit valentem illam et sublimem Poesin quæ animum pro libitu defixum et commotum habet et in vitæ humanæ intimam scientiam quasi manu ducit. Hæc est ea Poesis quæ Philosophiæ æmulam se jactat, imo eam vi et spiritu exsuperat. Nec vero jam opus est ulla morum recensione quæ certe frigidior est et crassioris artificii. Habemus eos rebus ipsis intextos et quasi vita imbutos. Habemus eos non ex authoritate poetæ perdiscendos sed dramatice, ut ita dicam, in scenam prolatos. Huc ex parte confugiunt Theophrastus et alii, inter quos poetæ nonnulli, qui in recensendis morum discrepantiis operam de industria posuerunt: desumunt sibi plerumque vel fingunt historiæ particulas quasdam quæ moribus explicandis et illustrandis inserviant; et illi quidem recte; sed profecto magnum fuit Homero in isto Poeseos statu perspectum habuisse morum humanorum scientiam sine ulla recensione peragi posse, cum cæteri non pauci etiam inter illos qui eum secuti sunt tanquam arti suæ diffidentes minus hoc ceperint, et suis verbis de singulis personis lectorem certiorem fecerint. At Homero, etiam si breviter designandi sint Græcorum proceres, præsto est Helena personam et ipsa suavissimam gerens quæ istas partes excipiat. Latet itaque per totum operis decursum Poeta ipse, neque virtutes neque vitia cujusdam

enarrat, nihil ex sua persona collaudat aut vituperat, nullas animi aut corporis dotes recenset, sed omnia coram oculis sistit; ita ut inter agendum personæ ejus statim se declarent, inter se discrepare videantur, per omnia sibi constent, et ex iis quæ agunt rite dijudicentur.

PRÆLECTIO VICESIMA-PRIMA.

JAM de moratarum personarum in omni poesi loco usu atque elementis satis præmoniti ipsas tandem attingamus quales apud Homerum reperiuntur, seorsim quidem nunc sumendas, etsi fabulam totam permeant et arctissimam cum ea communionem habent. Ac primo quidem earum simplicitas et varietas ultro se offerunt et explorantibus obviam eunt. Hæ duæ res raro inter se colligatæ una coeunt. Vel personarum nudam et jejunam per se simplicitatem habemus, vel varietatem ex levioribus differentiis conflatam quam quæ magnæ et universæ disciplinæ inservire possit. Homero quidem sua ætas largam et uberem copiam sufficiebat, sed quos ille fructus exinde decerpserit, et in quos usus materiem suam effinxerit satis mirari non possumus. Ex temporibus suis exempla habuit hominum in quibus naturæ facultates in lucem concitatæ necdum corruptæ eminebant. Proprium opus erat conficere et imitatione exprimere ea quæ oculis subjiciebantur, fortasse etiam ultra suæ ætatis experientiam animum suum erigebat, fortasse etiam longe prospiciebat in quosnam vitæ cursus mentis humanæ vires atque affectus sese deflexuri erant—etenim commovebantur jam omnia et fervebant—atque hoc ideo magis dico quod recentiores Græci suam politicen in Homeri operibus se invenire sæpe

arbitrabantur. Quod si aliæ etiam gentes in iisdem tantum inveniant quod sui intersit, certe hoc indicio esse potest tradidisse Homerum insigniores notas per quas et in genere conveniunt et in specie differunt homines, ita ut illis cæteræ leviores sint et magis mutabiles et singulis vel paucis magis propriæ. Fortitudo bellica et civilis prudentia in publica hominum vita primæ prodeunt et conspiciuntur, plerisque tamen videntur simplices esse et ex unico exemplo perdiscendæ. Aliter censuit Homerus nec tantum earum diversos effectus sed causas etiam et diversa in animo et affectibus humanis harum rerum semina excutere et exprimere voluit. Hinc tot duces virtute bellica pariter spectabiles sed animi habitu et motibus inter se discrepantes. Hectora patriæ amor et suorum cura in prælium suscitat. Diomeden suus ardens spiritus et paternæ laudis æmulatio. Ænean temperatus et virilis animus. Ajacem animi ferocia et robur corporis. Achillem præcellentis virtutis fiducia. Patroclum fides erga amicum. Ita dum in omnibus inest fortitudo at ex vario semine ortum ducit et vario motu sese explicat. In consiliis par est discrepantia. Longe aliam esse voluit Homerus prudentiam quæ ex longo usu accrescit, aliam quæ ex animi promptitudine et sagacitate pendet; alteram sub Nestoris persona, alteram sub Ulyssis adumbratam dedit. Quin et apud eum regia authoritas suas habet species. Agamemnon dignitatis suæ et virtutum quæ regis solium ornant conscius imperium exercet. Sarpedon, vir animi fortasse minus elati sed suavioris et honestioris, non ita imperii appetens quam officii erga subditos et patriam suam memor, iisdem curis invigilat. In Odyssea Pene-

lopes proci statu et dignitate fere pares inter vitæ remissioris delicias simili modo inter se distant. Antinous et Eurymachus procorum nobilissimi in effræni quam utrique tribuit licentia tamen dispares sunt, alter audacior et vehementior, alter magis speciosus et subdolus; non enim Eurymacho Melanthii patrono [a] et Melanthus amatori [b] honestiorem animum tribuit sed minus ferocem. Amphinomus [c] inter tot tumultus recti et honestatis sensum aliquem vel saltem umbram conservat. Ctesippus [d] cæteris abjectior et vilioris est animi. Leiodes [e] quietis magis amans adeo ut sibi apud Ulyssem supplicandi locum esse facile arbitretur.

Denique, nequid desit quod mores hominum attinet, et in Iliade et in Odyssea prodeunt in scenam personæ quædam minores ad exprimendum hunc aut illum affectum, virtutem aut vitium. Sub persona Dolonis id præcipue agere Homerum censeo ut timoris affectum adumbraret. Asius inconsultæ temeritati exprimendæ inservit: quo quidem in loco insueta sibi loquendi formula (Epanalepsin vocant Grammatici) utitur poeta ut lectoris animum in ea quæ in hoc et sequente libro de Asio memorantur magis intentum habeat:—

> — τρίτος δ' ἦν Ἄσιος ἥρως,
> Ἄσιος Ὑρτακίδης, ὃν Ἀρίσβηθεν φέρον ἵπποι
> Αἴθωνες μεγάλοι, ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος [f].

Usurpatur hæc figura juxta Hermogenem [g] *ἐπὶ προσώπου συστάσει*, sed parcius eoque valentius

[a] Vid. *Odyss.* P. 257.

[b] Ibid. Σ. 324.

[c] Ibid. Π. 394, &c.; Σ. 394, &c., 411, &c.

[d] Ibid. Υ. 287, &c.

[e] Confer *Odyss.* Φ. 146, &c.; Χ. 310, &c.

[f] *Il.* M. 95; confer *Il.* M. 110, &c.; N. 384, &c.

[g] Περὶ Μεθ. δειν, c. 9.

his artibus utitur Homerus. Rursus Tlepolemus superbiam quæ ex nobilitate generis profluit repræsentat. Thersites molestam plebis protervitatem qua authoritatem insectari solent. Theoclymenus vim quam divinationi tribuebant antiqui. Euphorbus vaniloquentiam quæ leviori animo præ fortunæ lætis casibus se ingerit. Leodamas Alcinoi filius inanem ostentationem qua ineptiarum studiosi nonnunquam veræ virtuti et meritis se opponere audent, et siqui sunt alii his consimiles.

Itaque in hoc ambitu si Iliada et Odysseam simul respiciamus vix ullæ desunt privatæ vel publicæ vitæ personæ. Possunt quidem illæ multimodis variari ita tamen ut ad Homericas tanquam ad principia sua non injuria referri et ab illis fontibus derivari censeantur. Longum est omnia singulatim percurrere: hæc sufficiant excitandis hominum animis ad explorandam hanc cum simplicitate conjunctam varietatem.

Quam autem intelligo simplicitatem exemplis exponam. Agamemnoni tribuitur politicæ potestatis authoritas, quæ utcunque forma varietur principiis suis fere semper eadem est, sive uni seu multorum manibus committatur, quacunque demum pompa accingatur· vim tamen ejus et honorem etiam ab adversariis illi delatum continent cum cætera tum Achillis cum Agamemnonis præconibus in 1mo Iliados libro congressus:—

χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Potestatis administrandæ ritus singulis gentibus diversi esse possunt, authoritatem et officii rationem omnibus eandem tradidit Homerus. Rursus Nestori prudentia usu comparata adsignatur. Ulyssi nativa

judicii celeritas et acumen. Hi itaque personis suis satis inter se distinguuntur: postera ætas experientiæ et sagacitati multiplicem astutiam et vafritiem addidit. Quæ tamen omnia si penitus excutiantur facile minorum differentiarum in loco habenda sunt. Ulyssis in tumultu populari compescendo in 2do Iliados libro consilium et authoritas ea quæ in Græca et Romana historia toties usurpata legimus in se continet. Pro loco et tempore, pro Græciæ et Romæ diversis moribus, erit quod modum et formam attinet aliquid discrepantiæ; sed summa rei ratio sibi et Homericæ descriptioni constat. Vide sis quam prope Virgiliana illa ab Romana historia certe deducta Ulyssem Homericum attingunt:—

"Ac veluti magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces et saxa volant: furor arma ministrat;
Tum pietate gravem et meritis si forte virum quem
Conspexere silent, arrectisque auribus astant:
Ille regit dictis animos et pectora mulcet[h]."

Cognationis inter patrem et filium, maritum et conjugem, fratres, cæterosque affines officia in diversis temporibus ac regionibus dispari modo se exerunt; sed ab illis quæ in Odyssea tam plene declarantur principiis aberrare non possunt neque ex aliis animi affectibus exoriri. Potest variis modis servus in domini sui usum operam ponere, sed ex Homerici subulci fide, diligentia et amore erga herum pendet tota operum suorum recte instituendorum ratio. Hanc igitur veram simplicitatem dico quæ magna et communia complectatur semotis iis quæ minora sunt et mutabilia, quæ majora vitæ officia exhibeat nuda quodammodo et adscitis suis

h *Æn.*, l. i. 148.

formis exuta sed in species suas divisa. Hunc adeo in modum simplici et ordinatæ varietati ut ita dicam consuluit Homerus qua nullum certius est universæ pulchritudinis principium.

Est et aliud in Homero notatu dignum, qua scientia personis suis præesse solet, qua facilitate suos cuique mores tribuit et omnibus eorundem temporum mores, ita ut inter suos passim familiariter versari videatur. Virgilius contra tanquam inter ignotos plane hospitem agit: itaque sæpe consulto, nonnunquam etiam imprudenter, in recentioris ætatis et Romanæ gentis mores delabitur. Hoc quod loquor facile comparebit siquis conferat Ulyssis ad Alcinoi regiam adventum cum Virgiliano Æneæ ad Didonem. In altero Heroicam simplicitatem agnoscas, in altero aulæ Palatinæ excultiorem sermonem et pompam magis exquisitam. Pari ratione in Eclogis suis a pastorum simplici vita ad res Romanas et civiles mores sæpe transit, neque intra agrestem rusticitatem se continere potest neque satagit. Etenim perdifficile est totam mentem in alienam ætatem aut regionem usu parum nobis compertam transferre et in ea diu occupatam habere; perdifficile est, in longo opere, ubi tuam ipsius experientiam omnino transgressus fueris et ad artem te contuleris, cunctarum partium inter se convenientiam servare. Homero quidem, qui in ætate atque inter homines propemodum, inter mores certe de quibus scripsit ipse vixit, ex temporibus suis hoc subsidium ultro accessit. Sed ipsius peritia in excipiendo hoc subsidio digna est quam animadvertamus.

Hæc igitur habui quæ de Homericis personis in genere præmitterem: quibus absolutis ad Aristotelica ex hac parte præcepta jam devenio. Omnia

ille in quatuor regulas seu universalia præcepta distribuit. Ac primo quidem jubet Mores bonos esse—*ἓν μὲν καὶ πρῶτον, ὅπως χρηστὰ ᾖ*[1]—neque aliam regulæ interpretationem addit quam bonitatem hancce pro diverso genere diversam esse: sufficere autem vult si in suo genere boni sint mores, et obscure subjicit quosdam ita per se pravos esse ut infra sublimioris poeseos dignitatem cadant. Mox pravitatem minus necessariam pro exemplo culpæ contra hanc regulam admissæ habet. Hinc igitur liquet, etiamsi aliunde non satis constaret, nequaquam illud velle Aristotelem ut singulæ personæ perfectæ virtutis exemplar exhibeant, quod et præter naturam foret et nullum varietati locum relinqueret; neque vero prave moratas personas ab Heroica et Tragica poesi omnino ablegat. Altero in loco Tragicum drama non illos potissimum respicere vult qui virtute aut vitiis longe eminent, qui aut egregie probi sunt aut nefarie improbi, sed eos potius quibus inter magnas virtutes peccata atque errores humani interciderunt. Præcepti igitur, cum hanc interpretationem plane non fert, vera notio ex intimis Poeticæ artis principiis elicienda est. Majorum et characteristicarum Poeseos differentiarum ex tribus una exoritur ex rebus vel hominibus potius Poeticæ subjectis, quatenus illi vel deteriores sunt vel meliores quam quales nostra ætas vel communis hominum vita fert. Hac ipsa re severiores Poeseos species Tragica et Epica ab aliis distant; erigunt se nimirum ultra vulgarem hominum vitam ut præstantioris virtutis personas in medium proferant. Sunt igitur imitatio *βελτιόνων ἢ καθ' ἡμᾶς*,

[1] *Poet.*, c. 15.

nec vero desinunt vitam humanam vere imitari: possunt enim personæ istum in modum ad eminentiorem virtutis gradum attolli salva imitationis veritate et fide, salva istiusmodi artis norma quæ naturæ nunquam se ex adverso opponit. Talis imitationis principium et lex cum artificio in omni dictione frequenter usurpato prorsus consentit, atque exinde derivari potest. Hoc artificium in Rhetoricis eleganter attingit Aristoteles. Fieri potest, inquit, ut de eadem re duobus contrariis modis loquamur—quatenus pulchra sit, ᾗ καλὸν, vel quatenus turpis, ᾗ αἰσχρὸν—ita ex mero sermone in utramque partem, atque etiam magis aut minus in utramque partem accipi potest. Etenim per totam naturam permista sunt omnia, pulchra cum turpibus, inhonesta cum honestis consociantur, adeo ut neque in rerum natura neque in hominum personis quicquam sit absolute bonum vel absolute malum. Bona vel pulchra vocamus prout illud quod bonum aut pulchrum in se habeant præpolleat: pari modo æstimantur ea quæ inhonesta vel turpia sunt: digniora sunt laude vel vituperatione mille modis prout hoc aut illud præ contrario suo dominetur et merito summa cum laude et admiratione excipiuntur quæ magnis et divinis bonis pauxillulum mali redimunt. Interea penes nostrum arbitrium est rem vel personam ita describendo repræsentare ut in ea parte quæ bona et pulchra est vel potius vel omnino commoremur, unde speciosum et venustum exemplar hauriamus, vel in ea parte quæ turpis est et deformis, unde vel poeseos satiram vel picturæ imaginem in pejus detortam conficiamus: facile autem est vel laudem vel satiram ita temperare permiscendo aliquid ex contraria parte ut fide digna

sit et veritatis similitudinem conservet. Familiaris est pictoris ars qua vel in meliorem vel in pejorem partem subjectum suum exprimit. In utramvis igitur partem omnis imitatio se inclinare potest salva imitationis suæ fide. Quin et ex ipsa natura hominibus accidit in secretioribus animi consiliis et in communi loquela prout sua cujusque est indoles aut animi propensio in hanc aut illam partem studio aut odio se conferre. Alii siquid pulchri in re insit illud potissimum vident et excerpunt, alii quemvis nævum aut maculam insectari gaudent: ipsa rerum nomina in hos usus ultro cedunt, adeo ut eadem res nunc honesto nunc inhonesto nomine designetur. Hinc Cicero de Catilina et ejus sociis morte multatis honestiori nomine, vixerunt. Hinc contra odii causa Senatores Lacedæmonios vocat Demosthenes titulo qui Græcorum auribus male sonabat, δεσπότας[k]. In Metaphoris idem magis cernitur: prout translatio fit a majori et honestiori ultra pretium suum rem attollimus, et splendorem illi non proprium adsciscimus, prout a turpiori et vitiori pariter rem magis abjectam et sordidam facimus. In Epithetis iterum prout titulum ex rei dignitate et pulchritudine adsciscimus laudis præconio eam donamus, prout ex contrariis ejus proprietatibus stigma inurimus. Nunc vocatur Orestes inhonesto nomine, μητροφόντης, nunc præclaro nomine, πατρὸς ἀμύντωρ[l], quæ Epitheta cum a se maxime distant tamen ejusdem personæ idem facinus spectant sed diversis modis; tantum interest vel in nominanda vel in describenda re in quam partem spectes: veritatem interea non deserimus licet omnes

[k] *In Orat.*, Πρὸς Λεπτινήν. [l] Vid. *Arist. Rhet.*, l. iii. c. 2.

fortasse ejus partes non complectamur neque proprio in loco ponamus. Certe nullo studio nulla arte hæc quotidie fiunt: has voces natura ipsa sponte suggerit. Subsecuta est igitur hanc naturæ propensionem Poesis et in suos usus transtulit: vidit hoc artificio dum illud tantum mali intersit quod verisimilitudini satisfaciat rectius se excitare posse mentem humanam et erigere ad virtutis honestatis et pulchritudinis contemplationem: contra eodem artificio vitii turpitudinem coloribus magis vivis depingi posse et hominum mentibus objici. Ita dum a severa imitatione paululum deflectit, et temperatam quandam licentiam non de novo prolatam sed ex natura et usu desumptam usurpat, virtutis nobiliorem et vitii magis odiosam imaginem conficit, quo magis intra nos acrem harum rerum sensum provocet. Hæc est illa imitatio βελτιόνων qua Tragica et Epica Poesis in tantum sese efferunt. Scilicet in universum earum opus est mentem ad boni et honesti notitiam dirigere et in illis pulcherrimis formis contemplandis unice occupatam tenere, quatenus per naturam et veritatem fieri possit; necesse est enim aliquid temperamenti ex contraria parte interesse. Nihil aliud vult Aristotelis præceptum, Mores bonos esse oportere; oportere eos nimirum in universum ex præstantiori sua virtute laudem nostram et admirationem excitare. Necesse erit nonnunquam, quo et varietas fiat et fabula rectius expediatur, personas prave moratas, quales sunt proci Homerici et Ægysthus Tragicus, in scenam proferre; sed pauciores sint et inferiorem locum occupent: necesse erit aliquid vitii et humanæ imbecillitatis omnibus tribuere, ne ultra naturam et fidem omnem temere assurgamus; præ-

valeat tamen quod pulchrum et bonum est. Hoc sensu præceptum et intellectu facile et sanum est et ex legitima hujusce Poeseos speciei differentia deductum. In Homericis personis idem religiose conservatum est. Inter eas quæ majoris notæ sunt ne una quidem sua præstantia caret, neque contra vitiis omnino expers est. Agamemnon eximia dignitate et virtutibus vere regiis conspiciendus est, quæ quamvis nonnunquam in nimis se attollant et in arrogantiam effusæ sint, in summum tamen magna sui admiratione nos tenent. Achilles ardentiori spiritu et heroica fortitudine inclarescit, egregiis animi dotibus, licet interdum immodicæ fiant, et in rabiem erumpant. Parem vim habent Nestoris experientia utcunque senili garrulitate et consilii tarditate laboret; Ulyssis prudentia utcunque astutiæ nonnunquam affinis sit; Diomedis virtus etiamsi fines suos nonnunquam transiliat neque Deos ipsos vereatur; Ajacis robur et intrepidum pectus etiamsi stolidæ ferocitati finitimum sit. Singulæ enim hæ facultates licet fidei causa suis vitiis temperatæ sint valent tamen ad exprimendam præstantiæ non vulgaris imaginem et lectoris animum in ea occupandum. Simili ratione Hectori tribuit poeta veram virtutem et sincerum patriæ amorem sed animum prospera fortuna nimis elatum. Thersites et siquæ sint aliæ omnino pravæ personæ inferiori in loco ponuntur, et ad oppositas virtutes magis illustrandas faciunt. In Odyssea pariter Ulysses, Penelope, Telemachus et Eumæus in suo genere præstantes sunt nec tamen perfectæ virtutis, et quod procos attinet, cum illis præter generis nobilitatem insignem aliquam præstantiam adscribere nefas esset, omnes itaque in unum fere congessit neque quen-

quam tam insigni in loco posuit, ut animum lectoris ad se valde trahat.

Hanc imitandi rationem in animo habens Maximus Tyrius Homero et cæteris tam poetis quam pictoribus duplicem curam tribuit, alteram ut verum exemplar alteram ut pulchrum exhibeant—*καὶ γὰρ τούτων ἔσται τὸ χρῆμα διπλοῦν, τὸ μὲν ἐκ τῆς τέχνης, τὸ δὲ ἐκ τῆς ἀρετῆς· κατὰ μὲν τὴν τέχνην, τὰ σχήματα καὶ τὰ σώματα εἰς ὁμοιότητα τοῦ ἀληθοῦς διασώζοντι· κατὰ δὲ τὴν ἀρετὴν εἰς μίμησιν τοῦ κάλλους τὴν εὐσχημοσύνην τῶν γραμμάτων διατιθέντι* [m].

Et revera ex hac imitandi ratione, ex hac propensione ad virtutem et nobiliores animi dotes permista interim labe aliqua et erroribus humanis multa et magna profluunt commoda. Hinc mens humana nihil inveniens quod supra naturam aut fidem sit, Poetæ se totam tradit ut ad contemplationem virtutis et venustatis perducatur; non sentit se cum illis versari qui communem vitam exsuperant, sed intentam se præbet et penitus occupari se non modo sinit sed etiam exoptat. Virtutis igitur omnem vim percipit quæ non amabilis esse non potest ubi veram ejus imaginem intueamur: ex tali contemplatione sæpius usurpata accrescit acrior sensus atque amor istius quod vere pulchrum et eximium est: ita in bonos habitus et in bonos mores et in rectos affectus sensim effingimur: patet aditus ad principem illam scientiam qua odium et amorem recte ponere discimus. Præterea malorum affectuum et vitiorum permistio multum prodest; intuemur enim in quantum hæc labes, nisi morbo

[m] *Max. Tyr.*, Dissert. xxxii. § 5, juxta edit. Reiske.

assidua cura invigilemus, optimas animi dotes et præstantissimas virtutes inquinat et depravat, quam periculosum est malis affectibus vel momento temporis fræna dare, et a recta virtutis semita gressus deflectere. Fortem, honestum, patriæ et suorum amantissimum Hectora nimia in prospera fortuna fiducia et exultatio morti dedit:—

Ἆ δεῖλ', οὐδέ τί τοι θάνατος καταθύμιός ἐστιν,
Ὃς δή τοι σχεδόν ἐστι· σὺ δ' ἄμβροτα τεύχεα δύνεις
Ἀνδρὸς ἀριστῆος, τόν τε τρομέουσι καὶ ἄλλοι [n],

verba sunt Jovis eum Patrocli spoliis atque armis Achillis nimium ovantem deplorantis. Intuemur denique istorum errorum progressus et remedia, qui initiis suis tam exigui sunt et fallaces, eventu tam exitiales: unde et facile constabit quo pacto nostras mentes eadem labe intaminatas conservemus. Neque alia potius de causa mihi videtur Strabo de poesi et ejus cultoribus magnifice pronuntiare cum excellentia poetæ conjunctam esse excellentiam hominis: non enim alium posse tam acrem virtutis sensum concitare nisi qui ipse eundem in intimo corde conceperit, neque alium posse errorum humanorum latentia semina et prima divortia designare nisi qui ipse hac scientia probe imbutus fuerit—*Οὐ γὰρ οὕτω φαμὲν τὴν τῶν ποιητῶν ἀρετὴν ὡς ἢ τεκτόνων ἢ χαλκέων, ἀλλ' ἐκείνη μὲν οὐδενὸς ἔχεται καλοῦ καὶ σεμνοῦ· ἡ δὲ ποιητοῦ συνέζευκται τῇ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ οὐκ οἷόν τε ἀγαθὸν γενέσθαι ποιητὴν μὴ πρότερον γενηθέντα ἄνδρα ἀγαθόν* [o].

[n] *Il.* P. 201.

[o] *Strab.*, l. i. p. 17.

PRÆLECTIO VICESIMA-SECUNDA.

EADEM brevitate qua primam suam de moribus Poeticis regulam descripsit Aristoteles secundam attingit. *Δεύτερον δὲ τὰ ἁρμόττοντα· ἔστι γὰρ ἀνδρεῖον μὲν τὸ ἦθος, ἀλλ' οὐκ ἁρμόττον γυναικὶ, τὸ ἀνδρείαν ἢ δεινὴν εἶναι*[a]. Mores in suo genere bonos esse prius jusserat, etenim neque humana virtus neque singularum personarum apta et constans habitudo effingi potest nisi servata rerum ratione quæ ex diversis hominum et vitæ generibus exoritur. Hæc autem ratio dispari modo componitur prout vel nativos animi affectus spectat, vel habitus usu adscitos, vel ætatem et sexum, vel fortunas gradu aut specie diversas. Necesse erit Poetæ non tantum humanam naturam in genere contemplari, sed interius etiam indagare hasce sive partes ejus sive species sive differentias appellare mavis, cum in vita certe locum habent et eam coloribus non obscuris distinguunt. Huc spectant apta et elegantia Horatii verba :—

"Mobilibusque decor naturis dandus et annis,"

Poesi scilicet has personarum vices servanti accedit forma et nitor ex propiori vitæ imitatione.

Quod ad affectus et habitus attinet opus suum ingreditur Poeta nullis fere legibus adstrictus. Con-

[a] *Poet.*, c. 15.

cedimus illi ad arbitrium suum delectum facere, ex variis morum elementis quamvis modo apta sit compagem fingere, totam fere naturam perlustrare unde personas suas huic aut illi affectui virtutibus aut vitiis subjiciat; sed delectu semel facto jam sibi ipsi limites circumscripsit: necesse est exemplari suo jam composito et in medium prolato in cæteris omnibus satisfacere. Rectius autem et magis ex arte sua operi se accinget si ex præmeditato Fabulæ conspectu personarum delectum faciat, atque adeo in ipso ingressu operis sibi leges imponat, dum rebus inventis et ordinate dispositis hominum qui in illis versantur vitam et mores submittit. Hoc fieri potest si personis suis istos mores et affectus tribuat qui destinato rerum cursui, prout vita est humana, regendo et efficiendo conveniant. Ita ex illa parte quæ in Poesi revera finis est profluet secunda quæ finem prope attingit et ab altera ægre divellitur. Hujusce etiam sententiæ Homerum auctorem habemus. Voluit nimirum ex dissidio inter duos proceres durante magno et externo bello mala multa et perturbatam rerum seriem exoriri. Itaque alteri tribuit fastum et nimiam suæ dignitatis fiduciam, alteri elati animi ardorem et contumeliæ aut ignominiæ sensum nimis acrem. Facile ex istis ingeniis inter se commissis oblata occasione conflantur iræ et inimicitiæ graves, dum eorum alter inferiori in loco consistere recuset, alter neminem cum seipso æquiparari sinit:—

— ὄφρ' εὖ εἰδῇς
Ὅσσον φέρτερός εἰμι σέθεν, στυγέῃ δὲ καὶ ἄλλος,
Ἶσον ἐμοὶ φάσθαι, καὶ ὁμοιωθήμεναι ἄντην [b],

[b] *Il.* A. 187.

ipsius verba sunt. Interea sedulo conservat Poeta istam quam ex fabula personis hisce præstituit normam. Achillis violentiam et Agamemnonis fastum nunquam ex conspectu elabi patitur, sed quascunque partes, verba, aut gesta utrique tribuat, ex hisce affectibus cætera aut proveniunt aut cum illis consentiunt. Idem in Odyssea statuit in medium proferre prudentiæ constantiæ et fortitudinis exemplar varia fortunæ exercitatæ et per mille rerum discrimina et pericula et domesticos tumultus feliciter se expedientis. Itaque ex heroibus qui in Trojano bello et in Iliade primas partes tulissent eum delegit cujus ingenium et animi habitus tot laboribus exantlandis non inepti essent. Prodit adeo et coram lectore sistitur ὁ τλήμων Ὀδυσσεὺς, et sua indole et Minervæ præsidio tanto oneri sustinendo non impar. In hisce itaque exemplis juxta præceptum ea confingitur persona hominis quæ fabulæ inserviat: quæ sequuntur autem morum atque affectuum discrimina, cum iis qui primo proferuntur, et penes quos totius personæ moderamen est, consentiunt. Sive autem ad fabulæ usus seu ad suum arbitrium personarum delectum fecerit Poeta tantundem est: ex variis elementis multimodis confingi possunt sed ubi semel formam suam et stabilitatem adeptæ fuerint proprium habent locum et agendi vices. Ætatis etiam habenda est ratio. Etenim annis volventibus permutantur ejusdem hominis mores, alii sensim accrescunt, alii pereunt et dilabuntur. Hujusce etiam rei convenientiam Homerus religiose servavit. Dum prudentiam in duas partes distribuit, nativæ solertiæ et calliditatis laudem virili et maturæ ætati sed adhuc florenti et viribus integræ tribuit, experientiæ grandævo seni. Rursus juventutem suam

non transgressus est sublimis et vehementioris animi Achilles. Agamemnon annis provectior qui nempe dignitate et fastu conspiciendus est. Antilochus imberbis fere adolescens sibi proprias habet vices quæ fervidæ et ingenuæ ætati congruant, in ludicro certamine et in ipso pugnandi initio in quo primus hostem dejicit. Nestor pro senectute sua in campo minus conspicitur, in ordinanda acie sua nemini cedit, in conciliis fere omnibus primas partes agit, etiam tum cum in densissima nocte imminentis periculi metus congregabat proceres; unde Diomedes assiduam senis vigilantiam apte depingens :—

Σχέτλιός ἐσσι, γεραίε, σὺ μὲν πόνου οὔποτε λήγεις [c].

Fortasse etiam Ajacis et Diomedis in prælio vices quanquam ex diversa utriusque indole provenire censeantur aliquam tamen ad eorum ætatem rationem habere possint. Idomeneus certe tanquam miles veteranus necdum emeritus cum contubernali suo Merione conferta acie statariam et æquatam pugnam sustinet. Sexus etiam discrimina non contemnenda sunt, quæ quidem eo magis iis quæ ætatem spectant adjungo quod Homerus hæc conjunctim respexit, et varias fœminarum virtutes pro statu et ætate earum suo quamque in loco exposuit. Matris affectus repræsentat Hecuba. Uxoris fidem et amorem Andromache et Penelope, altera inter belli tumultus, alter inter domesticæ vitæ ærumnas vix minus graves et diutinæ absentiæ tædium. Teneræ virginis simplicitatem habet Nausicaa, Helena infidæ conjugis, nec tamen prorsus deperditæ, angorem et sollicitudinem. Hæ omnes suas vices explent a virili parte longe

[c] *Il.* κ. 164.

remotas sed pro statu et ætate sua inter se diversas. Servat in omnibus poeta quod Andromache suæ præcipit Hector:—

— τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε
Ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
Ἔργον ἐποίχεσθαι [d].

Porro fortunæ et vitæ gradus pari modo humanos mores regunt et distinguunt; quibus discrepantiis pariter consuluit Homerus. Regiæ conditionis veram indolem, sed dispari modo, gerunt et Sarpedon et Agamemnon. Diomedes et Achilles, vel etiam Antinous et Eurymachus, diversa indole conspiciuntur, sed conditioni suæ consentanea, quæ scilicet generis nobilitati cum dominatione conjunctæ apta sit. Priamus juxta statum et fortunas suas partes gerit illius qui imperio corruenti et periculis obsito præsidet. Tlepolemus simplex est nobilitatis exemplar. Eumæus et Philætius inferioris vitæ conditionis partes explent. Proci eorum qui divitiis nimis abundant. Thersitis et verba et gesta ex fæce sunt populi. Ita in Homero non tantum universam vitæ humanæ adumbrationem habemus, sed varietatum etiam et differentiarum quæ in exculta vita et commerciis hominum oriuntur et effingunt infinita fere personarum discrimina, prout affectus et mores vel ex ingenita animi propensione vel ex vitæ cursu varium in modum coeunt et consociantur. Sequitur non alio in sensu mores bonos esse oportere: ex harum enim rerum ratione omnis pendet virtus: alia est Senis, alia Adolescentis, alia Regis, alia subditi et privati civis. Sequitur etiam nullam personam omni ex parte perfectam et absolutam esse oportere, nullo enim in genere apud

[d] *Il.* Z. 490.

homines reperitur virtus omni labe expers. Sua habet vitia et vita in genere et singuli vitæ gradus. Easdem regulas ex Homericis carminibus analytice deduci posse jam ostendimus. Est et adhuc alia morum convenientia, ea quæ diversis seculis et temporibus vel quæ diversis gentibus congruit. Habent enim non tantum singuli homines sed gentes etiam et secula compositum et proprium sibi morum systema, laxius fortasse, ita tamen certum ut extra illud evagari non liceat. Heroicæ ætatis mores a recentioris seculi norma abhorrent, neque cum illis permisceri volunt. Neque Spartanam severitatem cum Attica urbanitate recte consociare possis. Hæc itaque ratio servanda est. Homero sui unice seculi et gentis erat propior conspectus, felicitati itaque temporum tribuendum est ex hac parte aberrare illum vix posse, et raræ quidem felicitati cum ex illa ipsa recentiores fere omnes tam misere aberraverint.

Tertio præcipit Aristoteles, *τὸ ὅμοιον*, morum similitudinem, rem ex personarum Historicarum usu deductam; easdem enim singulis partes ascribi vult, quas olim ab Historia aut ab antiquioribus poetis acceperint et quasi suo jure usurpaverint. Etenim jam olim Tragici et Epici poetæ, fortasse etiam in hac re Homerum secuti, ex Historia et fabulam suam et personas unice desumebant: non quod illam habebant necessariam artis suæ legem (non enim ex auditoris aut lectoris notionibus et scientia sed ex sua vi pendet Tragica et Epica Poesis, *τὰ γνώριμα ὀλίγοις γνώριμά ἐστιν, ἀλλ' ὅμως εὐφραίνει πάντας* [e],) sed utcunque suæ artis solutior lex sit

[e] *Arist. Poet.*, c. 9.

magna ex hoc artificio subsidia habebant: in promptu erat in tanto materiæ suæ campo quam semitam insisterent, quo ductu sua vestigia regerent. Ea quæ prius obtigerant vel fama obtigisse ferebantur, tanquam eo ipso verisimilia, sui juris esse judicabant, *τὰ γενόμενα φανερὸν ὅτι δυνατά, οὐ γὰρ ἂν ἐγένετο εἰ ἦν ἀδύνατα*[f]. Etiam si extra verisimilitudinem fuerint nonnulla populari tamen fama vulgata intra poeticos usus reducebantur. Tuto igitur in hoc materia versabantur Poetæ et ad Historicas fabulas uno consensu refugiebant: ita suis narrationibus et personis species saltem verisimilitudinis offundebatur, ad rerum veritatem et historiæ fidem quasi clara et solenni voce provocari videbatur, et intelligebant nimirum quam facile his artibus falli se et abduci patitur animus humanus, quam prompte usu et authoritate commotus ea recipit ac fovet quæ si a Poeta de novo excogitata essent et audacter prolata magnæ forent offensioni. Desiderabat Comœdia hæc ipsa subsidia, cum in domestica et privata vita versaretur quæ nullos haberet sui annales et monumenta. Intellexisse hanc penuriam suam et de illa nonnunquam graviter conquestos fuisse poetas Comicos ex fragmento Antiphanis jam ostendimus[g]:—

Χρέμης τὶς ἢ Φείδων τὶς ἐκσυρίτθεται
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἔξεστιν ἢ Τεύκρῳ ποιεῖν—

Sed et præ cæteris prono animo suam historiam audiebant Græci. Antiquitatum suarum memoriam usque adeo fovebant (quas scilicet etiam in publicis et politicis negotiis studiose citabant) ut poetæ istas in scenam proferenti parati essent et attenti audi-

[f] *Arist. Poet.*, c. 9. [g] Vid. *Prælectionem* 13[tiam].

tores. Certe videntur Græci ex hac parte non ita ducti fuisse rerum novarum aucupio ut aspernarentur antiquarum recensionem scite conscriptam et nova arte confictam: imo hanc maluisse arbitror, maluisse inquam notam rerum seriem, in qua mores et affectus hominum apte repræsentati eminerent: non sine causa putabant hanc poesin intellectu faciliorem esse cum dimidia sui parte jam cognita esset, itaque sese et promptius et accuratius poeticos mores assequi posse, qui cum rebus antehac usurpatis permiscerentur. Quid si porro statuamus elegans et subtile Atheniensis theatri judicium ex hac ipsa re profluxisse. Argumenti novitate non impliciti, neque longe requirentes quis futurus esset Dramatis exitus, toto animo incumbebant in illa quæ maximi sunt pretii, aptam fabulæ compagem, morum et affectuum veritatem et colores et dictionis puritatem. Libera quodammodo et soluta mente hæc captabant, et hauriebant veram vitæ scientiam et acrem elegantiæ sensum, cui Poetæ vicissim studebant et pari cura enitebantur suorum judicio satisfecisse. Nec vero hinc Poetæ intra arctos limites concludebantur. Illa historiæ particula ex qua argumenta sua desumebant, non tam certæ erat scientiæ ut nullum inventioni locum relinqueret: multa de suo intexere licuit, omnia fere ad arbitrium suum componere: tum vero istorum temporum personæ et numero multæ erant et poetici coloris et indolis liberæ atque audacis; non itaque impediebant poetam suum sed ducebant in illam materiam ex qua uberrimos delectus faceret. Huc spectat atque hinc exortum est Aristotelis præceptum ex Tragicorum praxi desumptum. Carebant enim illi proprio subsidio si extra historiam evagati

essent: at historiæ et priorum temporum testimoniis se ex adverso opponere non ferendum erat. Indignabantur Græci præ licentia quenquam abuti ista materia quæ si recte tractaretur in Poeticos usus tam facilem se præberet. Ille ipse favor atque amor antiquarum rerum in odium novæ audaciæ concedebat. In contrarium itaque vitium incidebat Poeta qui hæc subsidia non tantum recusaret sed etiam oppugnaret. Jubet adeo Criticus ex naturæ lege et suorum temporum consilio historiam ducem sequi, nequaquam autem aperte sui animi commenta iis opponere quæ tantam habent veritatis similitudinem et authoritatis vi sponte fidem faciunt. Tragicos et cæteros ejusdem ævi poetas ab Homero vel Homericis temporibus satis notum est argumenta sua desumpsisse, atque hos, ut dixi, præcipue spectat Aristotelis præceptum. Horum fama et excellentia adductus pariter Romanis poetis præcipit Horatius:—

> "Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
> Quam si proferres ignota indictaque primus."

Sed credibile est Homerum ipsum haud absimilem sibi legem præposuisse. Ut rerum eventus ita et personas non ex recenti suæ ætatis historia desumpsit, ne intra nimis angustam veritatis imitationem se comprimeret, neque contra ex remota vetustate, ne personas prorsus incognitas in medium proferret, et veritatis loco mera figmenta supponeret. In tali igitur delectu credibile est, inquam, illum intellexisse et animo concepisse præceptum Philosophi et personas suas ita conformasse ut famæ rerum et populari opinioni consentirent. Nobis quidem hæc omnia conjecturæ in loco ha-

benda sunt cum ex ipso poeta vel ex iis qui illum secuti sunt nobis Heroes Homerici innotescunt: potuit tamen fieri nonnullas earundem rerum atque hominum historias Græcos aliunde derivatas habuisse; omnium autem quorum aliqua pars ad nos pervenit mira est consensio. Porro si in fabulis et rebus gestis tam accuratus fuerit Homerus et tantam famæ et veritatis curam habuerit, quidni de personis ejus, cujus ex hac parte eadem est ratio, idem judicium faceremus? De Fabulis jam disputavimus[h]: alia etiam minora huc faciunt. V. G., non constat cur in muro Græcorum diruendo tantam operam absumpserit[i], nisi ut excusaret sese, quod hanc rem præter consuetudinem de suo commentus fuerit, atque adeo nulla ejus extarent vestigia. Tiresiæ ad Ulyssem vaticinium obscurum est et ulteriore explicatione indiget; crediderim itaque intercidisse historiam aliquam ad quam suis temporibus omnes illud norunt referre[k]. Hæc si vera sunt hominis sunt historiam nunquam temere deserentis. Intellexit quoque Poeta Mythologiæ portenta, postquam rumore hominum pervulgata fuerint, jam minus fore incredibilia. Si itaque in rebus hoc viderit, in quibus minus erat necessarium, sequitur in personis idem conservasse. Præterea hac lege servata facilius erat, prout sibi faciendum esse statuit, Poeta personas suas nulla prius habita morum recensione ad agendum producere: jam fama innotuerant lectoribus suis. Itaque quod de fabula et ejus partibus fusius prosequitur Strabo ad mores pari jure spectat, *τὸ πάντα πλάττειν οὐ πιθανὸν οὐδ' Ὁμηρικόν*[l]. Ex omni denique parte quid in-

[h] Vid. *Prælectionem* 13[tiam].
[i] *Il.* M. sub initio.
[k] Vid *Odyss.* Λ. 120, &c.
[l] *Strab.*, l. 1.

certi suæ ætatis rumores conferrent penitus perspexit Poeta, novit adeo juxta Horatianam loquendi formulam, "Famam sequi."

Quarto et postremo de moribus præcipit Aristoteles, *τὸ ὁμαλόν*. Morum constantiam, quæ aptæ eorum distributioni affinis est. Constitutis semel moribus idem et æquabilis per omnia servandus est tenor. Nisi enim esset in humanis actionibus et in earum principiis et causis æquabilis cursus et constans similitudo nullum omnino locum vel in Poesi vel in Scientia habere possent mores, nihil quicquam prodesset didicisse quid fecerint aut dixerint homines nisi exinde judicium fieri posset quid in posterum dictari aut facturi essent. Quapropter Aristoteles morum constantiam cum rerum serie conferendam esse censet, in qua etiam parum prodesset præteritarum scientia nisi futuris consimiles essent et de illis conjectandi facilem locum præberent. Est igitur etiam in moribus *τὸ εἰκὸς ἢ ἀναγκαῖον*[m], adeo ut personæ cujusdam differentiis semel intellectis ratam jam haberemus de illa opinionem. Poetæ opus est huic opinioni morem gerere et eam confirmare. Quod si aliter fecerit verisimilitudinem rei impugnat, fastidium movet, neque jam amplius animum ita occupatum habet ut erudire possit. Itaque subjicit Criticus etiam inæqualium personarum quandam esse perpetuam inconstantiam, isti enim sibi constant dum nihil ratione et via faciunt atque in hoc ipso a cæteris distant. Hanc regulam summa cum fide conservavit Homerus. Seu minoris seu majoris notæ personas prosequaris, in ipso incepto innotescunt et ad finem usque initiis suis respondent. Eadem

[m] *Poet.*, c. 15.

vehementia qua Agamemnonem in 1mo libro excipit Achilles injurias sibi illatas in eodem deplorat:—

Πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς [n].

eadem in nono Ulyssi respondet:—

Χρὴ μὲν δὴ τὸν μῦθον ἀπηλεγέως ἀποειπεῖν,
Ἧπερ δὴ φρονέω τε καὶ ὡς τετελεσμένον ἔσται, κ.τ.λ. [o]

eadem quanquam reverenter magis tutori suo Phœnici:—

Μή μοι σύγχει θυμὸν ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων,
Ἀτρείδῃ ἥρωι φέρων χάριν [p].

eadem pugnæ spectator devictis suis insultat:—

Δῖε Μενοιτιάδη, τῷ 'μῷ κεχαρισμένε θυμῷ,
Νῦν ὀΐω περὶ γούνατ' ἐμὰ στήσεσθαι Ἀχαιοὺς
Λισσομένους· χρειὼ γὰρ ἱκάνεται οὐκέτ' ἀνεκτός [q].

eadem quanquam magis jam remissa Patroclum in pugnam immittit:—

Αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἄπολλον,
Μή τέ τις οὖν Τρώων θάνατον φύγοι, ὅσσοι ἔασι,
Μή τέ τις Ἀργείων, νῶϊν δ' ἐκδῦμεν ὄλεθρον,
Ὄφρ' οἶοι Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύωμεν [r].

eadem nuncium de mortuo Patroclo excipit:—

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι [s].

eadem impatiens moræ Agamemnoni in gratiam redit:—

— τὸ μοι οὔτι μετὰ φρεσὶ ταῦτα μέμηλεν
Ἀλλὰ φόνος τε καὶ αἷμα καὶ ἀργαλέος στόνος ἀνδρῶν [t].

[n] *Il.* Α. 351. [o] Ibid. Ι. 309. [p] Ibid. 608.
[q] Ibid. Λ. 607. [r] Ibid. Π. 97. [s] Ibid. Σ. 97.
[t] Ibid. Τ. 213.

eadem magis et magis inflammata pugnæ se apparat:—

Τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε, τὼ δέ οἱ ὄσσε
Λαμπέσθην ὡσεί τε πυρὸς σέλας, ἐν δέ οἱ ἦτορ
Δῦν' ἄχος ἄτλητον [w].

mox prælium init et in illo desævit donec tandem Hectoris cæde animum expleverit:—

Ἠράμεθα μέγα κῦδος· ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον
Ὧ Τρῶες κατὰ ἄστυ θεῷ ὣς εὐχετόωντο [x].

tum vero ægre defervet et sedatur atrox animi ardor. Priami precibus et Deorum monitis inflectitur sed minaciter illum excipit:—

Μηκέτι νῦν μ' ἐρέθιζε, γέρον [y].

Eadem æquabilitate in Agamemnonis persona servatur fastuosi regis dignitas, etiam tum cum Achillem donis placare studet et supplicis vices agit. In Odyssea Ulysses pari animi fortitudine et prudentia conspicitur sive illum in Calypsus insula solum et sociis orbatum contempleris, seu Neptuni odiis inter fluctus naufragium facientem, sive inter ignotos et peregrinos hospitem, seu reducem in sua domo inter procerum tumultus impigra et intenta mente singula perlustrantem et vindictam longe consiliis præcipientem. Sed hanc rem plene exponere et per singulas personas prosequi longum foret et ad omnium operum Homericorum recensionem nos remitteret. Sufficiat notasse singulos eandem integritatem habere et eadem æquabilitate qua fabula procedere. Sed hæc ex vestra potius experientia quam alienis præceptis perdiscenda sunt.

[w] *Il.* T. 365. [x] Ibid. X. 393. [y] Ibid. Ω. 560.

Hactenus igitur quod ad Mores attinet, secundam Poeseos partem, demonstravimus intellexisse Homerum veram eorum naturam, proprium in Poesi locum, partes atque elementa, societatis cum fabula principia et leges, et præcepta etiam unde ita conformanda sunt ut humano generi prosint, erudiant, et oblectent. Siquid adhuc supersit de officiis vitæ inde derivandis dicendum, at hoc rectius alio in loco ponetur, ubi alteram poeseos partem, sententias a personis prolatas una huc revocare liceat.

OXONII: EXCUDEBANT JACOBUS PARKER ET SOC.